L. eleg. m. 442.

Digitized by Google

<36606671370016

<36606671370016

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

Digitized by Google

IOH. FRID. HERELII
SATIRAE TRES.

Haec ego non credam Venuſina digna lucerna?
Haec ego non agitem? — — —

IVVENAL.



ALTENBVRGI
EX OFFICINA RICHTERIA
CIↃ IↃ CCLXVII.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Non defuturos ſane exiſtimo, qui id magnopere mihi vitio vertant, quod ſatiris potiſſimum edendis animum adiecerim, cum forſan deeſſe vix poſſint, in quibus hoc, quidquid eſt, ingenii, ſi non aliqua eruditiorum cum venia, at certe minori cum offenſione adoleſcens exercere potuiſſem. — Quid agam miſer? Paremne cauſſae meae defenſionem? Importunas amicorum preces inuito et repugnanti multum atque gementi extorſiſſe libellum conquerar, culpam

 callidus

callidus transſeram in auctores, qui nusquam ſunt? — Non faciam. Ingenue potius, ſi vel communi ſcriptorum vitio, qui, quae ipſi compoſuere, non poſſe placere aliis, ſapienter negant, vel ſingulari mea imprudentia deceptus, dum hos luſus in lucem prodire paſſus ſum, male erraſſe deprehendar, crimen confiteor, idque mea ſponte me commiſiſſe aio, quamquam ne id quidem prorſus carere calliditate videatur. Verum ecquid tandem de his noſtris ſtatuendum ſit, alii viderint. Laudem ego, hercle! nullam exſpecto, contentus, ſi pauca ineſſe intelligantur, quae vacuum et remiſſum percur-

Digitized by Google

percurriſſe non prorſus poeniteat. — De ſingulis quaedam monuiſſe iuuerit.

Criticos in oratione ludicra liberius riſi. Quem quidem riſum meum nemo ita velim accipiat, vt me Criticam magis ipſam, quam mores quorundam ineptos notare, aut in contemtum adducere voluiſſe exiſtimet. Hanc enim diſciplinam, quam et ipſe a teneris ſemper in deliciis habui, ſi cum venuſti ſenſu, atque ita tractetur, vt lucem antiquorum ſcriptis, et, quod maxime noſtris temporibus opus eſſe videtur, maiorem admirationem conciliet, cui alii ſanus facile poſtponam? Sed ſte-

Digitized by Google

rile minutiarum ſtudium, inſanam codicum manuſcriptorum reuerentiam, illamque ruſticitatem, quae rixas de rebus friuolis, et pudenda poſteris proelia paſſim excitat, quis vnquam digne ſatis perſtrinxerit? — Acerbiora ſunt, quae in epiſtolis ſcripſi, ac vereor, ne plus irarum interdum, quam ſannae habeant. Scilicet nihil vnquam turpius mihi, intolerabiliusque viſum eſt his, qui litteras ex lucro, aut popelli iudicio vnice aeſtimantes, cultiorum diſciplinarum, quas odio acerrimo habent, rudes prorſus, nihil, niſi quod ad quaeſtum faciat, callent, nihilomi-

nus

Digitized by Google

nus tamen vaniſſimis, quos Academiae vendunt, honoribus, mirum in modum elati, ſapientiſſimi haberi poſtulant, aliosque magno faſtu contemnunt. Horum igitur de indignatione, ſi qui ſint, qui ſe laeſos putent, vt vehementer me laetaturum non diſſimulo, ita elegantius doctos aliquas etiam gratias mihi habituros ſpero, cum, quam diſſimiles iſtorum ſint, facile exinde pateat. Atque vtinam nunquam mihi fuiſſet impoſita neceſſitas, inter eiusmodi homines primos annos exigendi, nunquam in ea ciuitate viuere coactus fuiſſem, in qua de foedo et incredibili plane

ſolidioris doctrinae deſpectu, quem ciues omnes prae ſe ferunt, vix quidquam fingere queas tam ridicule, quin re ipſa ſuperetur. Equidem in magna felicitatis meae parte repono, quod iam ſeiunctus longe ab his oris viuere poſſum, tunc demum beatiſſimum me iudicaturus, ſi id mihi proſpera fata concederent, vt pedem in moenia, damnata ſtupore, nunquam referre adigerer, nec mores ciuium, ambitionis, inſuauitatisque plenos, denuo experiri. Quid enim ibi faciam? Quomodo ciuis egregii, aut prudentis viri partes tuear, cum litteras odiſſe nunquam didicerim?

— Viuant

Digitized by Google

— — Viuant Arturius iſtic,
Et Catulus; maneant, qui nigra in candida vertunt,
Queis facile eſt — —

Sed quid hic referre attinet, qua miſeri cum laude inter ſuos inſaniant? — Neque enim vnquam committam, vt me a manſuetioribus ſtudiis, quae, licet multa obiicerentur obſtacula, iam puer conſtantiſſime ſectatus ſum, nunc, cum iudicium acceſſit ardori, aut vlla vis abſtrahat, aut vana neſcio quorum commodorum ſpecies ſenſim incautum auocet. Quod hi maxime ſibi velim dictum putent, qui mei, credo, amantes, ſed na-

Digitized by Google

turae meae parum gnari, belliſſimum illud vsque occinunt:

— Cauſſas age, perlege rubras
Maiorum leges, — —

meque mortalium feliciſſimum arbitrantur, ſi me amictum laena coccinea, illiberali cauſſidici munere fungentem adſpexerint. Egone vt moleſtis litibus, a quibus ita abhorreo, vt nomen ipſum deteſter, impediar, vt poenas alienae ſtultitiae et moroſitatis luam, atque aetatis florem, cultum ingenii, veteresque delicias, libellos meos, ſordido ſportularum lucro poſtponam? Tanti nempe fuerit, ignotum cunctis et ignobilem vixiſſe, ac

poſt

Digitized by Google

poſt fata eadem apud poſteros gloria; qua fullo aliquis, aut cetarius, florere. Dii meliora! Vobis potius, Muſae, (neque enim diutius mihi tempero, quin Vos quaſi praeſentes alloquar,) Vobis igitur totum me mancipo, Veſtroque caſtiſſimo cultui in perpetuum lubentiſſimo animo conſecro atque deuoueo. Vos quemadmodum altrices adoleſcentiae meae fuiſtis fidiſſimae, eamque iucunditatem elapſi heu! cito nimis temporis recordationi addidiſtis, qua neſcio, quid eſſe mihi poſſit dulcius, quamque nulla aetas, ſcio, ex animo delebit meo; ita mox iuuenilem aetatem,

tem,

tem, ita virilem inexhauſtae amoenitatis, gratiaeque Veſtrae admiratione defixam ſemper teneatis, nec tremula olim ſenectus his quaſi fulcris ſolatiisque deſtituatur. Sordent mihi diuitiae, ſordent, quos ſtolidum vulgus ambit, honores; Veſtro, Diuae, ſi modo licuerit amabili frui conſortio, Vos opes, Vos gloriam meam reputabo. Verum hac felicitate non niſi a patria, vt dixi, ſeiunctus plene perfrui potero. Quod ſi me igitur illa cauſſidicorum latibula ſors quaedam ſiniſtra reuiſere, ad tempus ſaltem, coëgerit, hac quidem ſpe vitae beatioris magna ex

parte

Digitized by Google

parte excidam, ſed certe amicorum dulciſſimorum conſuetudo haud parum iſtam aegritudinem leuabit. Etenim Te, optime SCHMIDI, Teque, LEDERERE, candidiſſimae animae, denuo amplecti, denuo collo dabitur adſtringere, coniunctiſſimamque illam familiaritatem renouare, qua quondam beati, regales fortunas deſpicere poteramus. Tunc Veſtro in ſinu, ſecurum, quid de me plebecula iudicet, nulla me dies muneribus auide inhiantem, multo minus humili adulatione captantem illos viderit,

Quos vicibus ſtupet atque odit plebs ruſtica, blande
Quos palpat patriae ſtrumoſus Natta parentes,

verum

verum otio, non ſegni cuidam, aut inerti luxurie torpenti, deditus, (quale iſti potiſſimum ſectantur, qui neque ſeueriores litteras ita callent, vt rabulae ſaltem eſſe poſſint, neque doctrinas cultiores a limine ſalutarunt, non niſi gula et titulis a ſeruis ſuis diſcrepantes,) legiſſe aut ſcripſiſſe, quod tacitum iuuet, contentus, mulierum oſor, non hominum, id agam, vt

— modicus voti, preſſo lare, dulcis amicis,

nunquam non videar. Sic viuam ſemper, ſic decedam. Scr. Gottingae, d. 22. Febr. 1767.

I. ORA-

I.

ORATIO
IN LAVDEM VETERVM LIBRARIORVM.

AMSTELODAMI
IN SOLEMNI CRITICORVM CONSESSV
RECITATA.

Nulla erit tam ſurda poſteritas, nulla tam ingrata fama, quae non in coelum Vos debitis laudibus ferat.

CVRTIVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

In tam ſplendida, tamque frequenti Virorum ſumma eruditionis, meritorumque immortalium laude florentium corona verba in praeſenti facturus, vnde orationis meae primordia repetenda, quibus artis lenociniis apte exornanda ſint, equidem valde me fluctuari animo, minime diffiteor. Imiterne nunc laudabilem illorum induſtriam, qui, ſi quando ipſis oratio latina componenda eſt, ſpiſſa quaedam volumina euoluunt, nec ſine angore, quodnam exordii genus eligendum, *periodus*ne *conceſſiua*, an *conditionalis* aures magis ab initio delectet, diſquirunt? Quidnam igitur faciam? Num verbis: *Quamuis hominibus,*

Digitized by Google

quotquot in hoc terrarum orbe reperiuntur, omnibus etc. incipiam? An potius iſtis: *Quantum inter omnes veteris pariter, recentiorisque aeui ſapientes conſtat etc.* auſpicabor orationem? An denique his: *Si quid vnquam communi omnium eruditiorum plauſu atque aſſenſu dignum etc.* laudem mihi eloquentiae conciliabo? De Praetoribus P. R. diſſeram, an de laude virtutis, aut latina lingua quaedam egregie monebo? Succinctam diſquiſitionem in Viri cuiusdam Cl. librum praemittam, aut ſcholarum noſtris temporibus naeuos deplorem? — Quaſi ignorem, quomodo Virorum tam grauium beneuolentiam aucupari debeam, aut

quibus

Digitized by Google

quibus rebus potiſſimum delectentur! Sed metuens, ne ferox nimis et diſci-plinae impatiens audiam, tot oratorum, elegantium mehercle! merito exemplum ſequendum mihi exiſtimaui, quorum nullum ſummum a principio timorem teſtari non vidi. Quod ſi quis paullo acutior eo conſilio iſta me protuliſſe dixerit, vt me in librorum rhetoricorum lectione probe verſatum oſtentarem, quae mea in captandis laudibus eſt modeſtia, ei minime repugnabo. Cur enim, obſecro Vos, timore perculſus trepidem, nec potius magno voluptatis ſenſu perfuſus, hilari vultu Veſtrum ordinem adſpiciam, vocibusque laetis

Digitized by Google

gaudium ob concordiam, feliciter inter Vos reparatam, expromam? Ceſſarunt tandem iurgia acerbiſſima; compoſitum aliquando ſtabili pace quieſcit bellum, tot pugnis, tot rebus praeclare geſtis aeternum apud poſteros memorabile, et qui nec ſingulos Veſtrum adſpicere poteratis, quin ſtatim ira commoti, ora pugnis mutuo inuaderetis, ſereni nunc et tranquilli aemulis Veſtrae immortalitatis aſſidetis. O manſuetudinem inſignem, o humanitatem nunquam ſatis praedicandam! Quanta nunc reuerentia ſanctum iſtud et auguſtum concilium gratulabundus intueor! Iuuat deſuetam pridem terris luxurie perditis, maſcu-

lamque

Iamque illam grauitatem agnoſcere, moresque rigidos et Romanos, ſtudiis Veſtris digniſſimos, iure quaſi poſtliminii reuerſos, admirari. Iuuat tunicas pullas, more maiorum laxas et longiſſimas, easque non indecoro puluere ſordidas, iuuat capillamenta hiſpida, aureum vellus colore paene referentia, oculis vſurpare. Quibus vnguibus manus calloſae, quaſi natiuis armis, ſuperbiunt; qui cani ſapientes genas exornant! Tum vero pallorem oris, continuis vigiliis contractum ac frontem rugis obſeſſam, nec in ipſa pace remiſſam, non ſine religione contemplor. Martem ſic poſt praelia confecta, exhauſtosqe caedibus

Gelonos, vultu minaci reſpirare, et in ipſa quiete truculentum ferunt. — Verum hanc cultus Veſtri maieſtatem aliis praedicandam relinquo, et nunc officii mihi demandati memor, *de laude veterum Librariorum* breuiter diſſeram, quod quidem argumentum Vobis non prorſus iniucundum fore confido, cum et ingenui hominis ac probi ſit, eorum, quibus famam et victum debeas, memoriam grato animo recolere, et noſtrorum temporum conditio, vt res iſta in luce clariori collocetur, poſtulare maxime videatur. Quare tantiſper calami, gloriaeque perennis immemores, operam mihi dicenti date, atque animum,

laudum

Digitized by Google

laudum Veſtrarum praeconi, benigne, vt ſoletis, aduertite.

Iam primum acerba maligniorum quorundam conuicia mihi refellenda eſſe video, quibus Viros optimos, quos laudare inſtitui, inſectantur, eorumque auctoritatem plane conuellere laborant. Hos mira oſcitantia, inſcitia incredibili, egregia veterum monimenta foedaſſe, loca mutilaſſe et corrupiſſe plurima, monſtra vbique verborum intuliſſe, clamant, eaque ratione litteras damnum irreparabile feciſſe, queruntur. Acres profecto, et audaces accuſatores, quorum arbitrio ſi Librarii noſtri, ad vitam reuocati, dederentur, quanta licentia

et furore in miſellos, tanti criminis ignaros, ſaeuirent? Quam ego tergoribus eorum metuerem! Verum non illud iam vrgebo, maiori cura ſcripta veterum, reddita nonnihil obſcuriora, euolui, lectorem, ne parum acuminis habere videatur, diutius iis immorari, adeoque memoria lecta facilius teneri. Negabunt enim, niſi in Vos, libris obſcuris inſudandi ſtudium, cadere in quemquam poſſe; ſaniores fere, vbi minus expeditam ſibi lectionem ſentiant, tempus clarioribus impendere malle. Id potius oſtendam, multa iſtis erroribus, et inſignia deberi Reipubl. litterariae incrementa. Voculam Criticus quiſpiam

in

Digitized by Google

in codice tineis exeſo, litteris ſitu fugientibus perſcripto, paullo inſolentiorem, et quae ſenſum loci non mediocriter implicet, proſpero ſuo fato, offendit. Hanc ſibi defendendam omnino et explicandam ſtatim intelligit. Quis enim, rogo, niſi qui in ſemet velit eſſe iniurius, exoptatiſſimam doctrinae palam proferendae occaſionem tam facile praeterire fruſtra ſiuerit? Igitur libellum emittit ocius, multis ſuam ſententiam argumentis confirmat, ſtabilitam ſua opera veritatem, quaeſita meritis ſuperbia, gloriatur. Quid tunc alii? Illi noſtro gloriam inuidere, iras animosque ſumere, opponere ſe libere, et pue-

Digitized by Google

riliter lapſum Virum Celeberrimum, multa verborum elegantia docere. Renuere iſte feruidus, et nouo libello vberius ſuam ſententiam declarare. Diſcipuli autem et clientes, vt quisque auctoritate floret, pugnae ſe immiſcere, et ſcriptis patronorum cauſſae fauere. Hinc illa *Exercitationum, Meditationum, Diſquiſitionum, Vindiciarum, Curarum Secundarum, Aſſertionum, Reſponſionum, Defenſionum, Diſcuſſionum, et Epiſtolarum Apologeticarum* ingens et admiranda poſteris moles, in qua pretioſiſſimos doctrinae exquiſitiſſimae theſauros liberaliter expromi quisnam negare audeat, quibus tamen in perpetuum fortaſſe mi-

ſeri

Digitized by Google

ſeri careremus, niſi fauſtiſſimum errorem optimus Librarius commiſiſſet, cui Mineruam adſtitiſſe ſcribenti facile crediderim. Quot porro Veſtrum ingenia praeſtantiſſima, ad Criticen iuuandam vnice nata, in tenebris demerſa iacerent, nec vim ſuam viuidam exſererent, qua nunc terras omnes longe lateque illuſtrant? Cui bono gladiatorius iſte corporis habitus, robuſtum latus, oculi lyncei, pugni craſſi et fortes, quibus a natura benigne exornati eſtis, niſi vt Vos nobiliſſimae doctrinae elegantioris parti totos manciparetis, quae in congerendis vel minimis variorum Librariorum erroribus, quos in deſcribendo quodam

Digitized by Google

dam auctore commiſerunt, occupatur? An vt ſutores, cerdones, fullones, ſordidum vitae genus amplexi, ciuium commodis inſeruiatis? Dii meliora! Vos quidem reliquarum ſcientiarum inſuauitatem et moleſtiam pertaeſi, eruditiſſimum quemque non patriae, ſed ſibi ſoli viuere debere, non obſcure docere videmini; ſed gloriae tamen pulcro ardore accenſos, quis non ad immortalitatem variis lectionibus deſcribendis feliciter contendere videat, ad quam, absque librariis fuiſſet, nunquam adſpirare poteratis? Teſtis TV mihi eſto * * * Celeberrime, quem mihi aſſidentem proxime non ſine voluptate adſpicio, quemque

amoris

amoris et ſingularis reuerentiae teſtandae cauſſa nomino. Ecquis TE, licet ſplendidiſſimo Magiſtri Philoſophiae et Liberalium Artium titulo exornatus eſſes, licet *Diſſertationem Inauguralem, Bono Cum Deo*, tribus plagulis conſtantem, conſarcinaſſes, cuiusdam inter eruditos nominis vnquam futurum exiſtimaſſet, nec in ſcholae vmbra inglorium moriturum iuraſſet? Nouerant quippe homines, ingenii iudiciique TIBI perparum ineſſe acuminis, libros TE veterum ita legere, vt praeter formulas imitandas, nihil eos pulcri aut praeclari continere TIBI perſuaderes, tum mores TVOS inhumanos et agreſtes ad

riſum

Digitized by Google

riſum indoctiorum omnium et contemtum eſſe compoſitos. Verum ne ſic quidem animum inclareſcendi abieciſti, quin potius callide tentaſti viam,

Qua TE quoque poſſis
Tollere humo, victorque virum volitare
per ora.

Ferrea TV, nec laudanda ſatis diligentia, Variarum Lectionum myriadem graecis quibusdam ſcriptoribus alleuiſti, cui labori fortuna tantopere adſpirauit, vt qui aeui noſtri Criticos enumeret, nec * * * mentionem faciat, rudis merito, aut malignus habeatur. Macte vero hac laude, VIR CELEBERRIME, certusque poſteritatis, *adoleſcentis auda-*

cis

cis et peſſumios T E et ſcripta T V A irridentes, dignis ludimagiſtro conuiciis vlciſci, quod feciſti, fortiter perge!

Satis mihi crimen, amicis noſtris obiectum diluiſſe videor; nunc, age, virtutes, quae in illis fuerunt, eximias mecum conſiderate. Magnum opus aggredior, quod vel diſertiſſimos pulmones fatigare poſſe, minime ignoro. Quare pauciſſimas tantum breuiter delibabo, ne parùm ſplendidis elogiis, res ſummas non tam illuſtrem, quam obſcurem et deprimam. Amabili ergo modeſtia Viros optimos maxime conſpicuos fuiſſe, nemo, qui vitam eorum accuratius nouerit, negabit, quae tanto ſit

glorio-

Digitized by Google

glorioſior, tanto magis in admirationem ſui nos rapiat neceſſe eſt, quanto iuſtius ſibimet ipſi placere, et caput altius attollere potuiſſent. Hodie doctorum plerique ſolemni noſtris temporibus more, vbi obſcura quaedam Metaphyſicae et Logicae, aut ignobiliorum philoſophiae diſciplinarum, Ethicae puta vel Phyſicae capita offenderunt, non ingenii ſui ſed rei propoſitae culpa, aquam ſibi haerere, acute animaduertentes, falſa multa et abſona excogitant, quae et ipſi vt veriſſima exoſculantur, et aliis mira verborum volubilitate perſuadere geſtiunt, Iidem tamen vel mortem prius oppeterent, quam nomen in fronte libri retice-

Digitized by Google

reticerent. At quanto modeſtius noſtri Librarii? Hi ſincero veritatis, et de poſteris bene merendi ſtudio, quae in deſcribendis auctoribus minus plana putabant, (putabant autem humanae imbecillitatis vitio plurima,) ea ſine oſtentatione in melius reformare ſtudebant, applauſus minime cupidi, grandem mercedem recti conſcientiam eſſe rati. Nam et raro nomen abſoluto volumini ſubſcribebant, et aegre prioris lectionis veſtigia ſupereſſe patiebantur, ne quis ingenii gloriolam affectare male ſuſpicaretur. Graeca vero Latinis nonnunquam intermixta, plane tranſibant, aut Latinis litteris mitigabant, quod graece doctos

Digitized by Google

magno ſe animi faſtu extollere obſeruarent, ipſi linguae graecae imperiti, in quo, en aliam laudem! *Viris* plurimis *Conſultiſſimis*, et nunc paſſim *Reuerendis* ſimillimi fuerunt. Sed nec minori pietate noſtros mentem excoluiſſe, ecquis Veſtrum eſt, qui dubitet? Nonne quotidie magna cum admiratione deprehendimus, ſaepius Viris ſanctis varia Chriſtianae religionis capita obuerſata eſſe, vbi nemo profanus ſanae mentis de iis cogitaſſet (*). Quoties illi Deorum nomen deteſtati, Dei vnius, leuiſſima voculae mutatione, lectores admonuerunt?

(*) cf. perill. Klotzii Excurſ. 2. ad Lib. de Verecundia Virgilii.

runt? Quoties pro ſententiis impiis, ingenioſiſſima ſuperſtitione loca obtulerunt ex vulgata, quam vocant, ſacrorum librorum interpretatione, quorum elegantia ſtatim acutioribus ſe prodit? Id, quaeſo, cum animis Veſtris reputate, quo dolore manus operi admouerint, quo calamum arripuerint gemitu, vbi nobili quodam Viro, et *illuſtri litterarum elegantiorum Patrono* exigente, (nam tunc quoque non defuiſſe coniicio, quibus codicum pulcre ornatorum copia, *Maecenatis aeternum colendi* titulum comparare poterat,) vbi igitur laſciua Catulli, Naſonis, Petronii volumina erant deſcribenda? Grauiora noſtris tem-

Digitized by Google

poribus ſacrificulos ſuſpiria trahere poſſe vix credam, quibus bibliopola fabulas Mileſias, et mimos ex Gallico aut Anglicano ſermone in patrium transferre, durus nimium, praecipit. Quid faciant miſelli? Recuſent laborem? At tunc vnde victus numeroſae familiae ſuppetat? Transferunt ergo libros exoſos, hac vna vindicta contenti, quod, quibus inſudarunt ipſi, eorum lectionem palam popello diſſuadere liceat. Librarios itidem pios cur ſua vindicta vti debuiſſe, negemus? At ſtuporem hic quosdam eorundem accuſare audio. Quaſi rarum omnino, et inauditum prorſus, multos, qui per litterarum ruinas ad tollen-

dam

Digitized by Google

dam funditus ſentiendi libertatem graſſantur, egregie cauſſam religionis defendere videri! — Caſtitatem quo minus in iis laudem, quaedam me impediunt. Nam et homines coelibes, otio plurimo indulgentes, natura ſtimulis libidinis minime vexari poſſe, ſaeculorum, quibus vixerunt, ſapientia bene obſervauit, et Vobis virgineus horum pudor nimis magnam aegritudinem attulit. Multas lacunas in libris veterum non lacrumantes adſpiceretis, plures Variantes Lectiones inueſtigare liceret, niſi quidem ſpurcis et obſcoenis *carnalem* poſteritatis *concupiſcentiam paſcere* noluiſſent homines religioſi, quos tamen

Digitized by Google

ab iſtis fere ſuperari videmus, qui Terentium et Virgilium, ob nimiam credo ſalacitatem, *Chriſtianos* pueris proponunt, quibus libris quidquid rerum exinde diſcendarum venuſtati, morum felici deſcriptioni, ſententiarum ponderi, et antiquitatis doctrinae deeſt, id omne linguae barbarie et ineptiis feliciter compenſatur. Verum, quod dixi, caſtitatis laudes, Noſtri a me nullas ferent. Quid praeterea Criticis magnopere cum pudicitia? Certe Burmannum hic caput leniter quaſſantem, et verſute ſubridentem video. — Singularem potius artium elegantiorum ſcientiam mecum in amicis admiramini. Vnde haec eximia

in

Digitized by Google

in codicibus vetuſtis litterarum venuſtas, ductusque operoſe excogitati, qui arte interdum nimia vel ipſam verborum lectionem impediunt, vnde litterarum, quas vocant, Initialium pigmentis adſcitus nitor, atque picturae auro et minio fulgidae, interſperſae libro, vnde denique membranarum tegumina, lepidiſſimis figuris conſpicua, niſi a librariorum ſolertibus, et nunquam non in frugi labore occupatis dextris, quae ingenium dominorum amoenum haud obſcure produnt? Multas, ſcio, moleſtias, Vobis in perlegendis codicibus ſubeundas, iucundiſſimus adſpectus aufert, multa quoque, ſi alia deſint, ſuppeditat, quae

gratiam Veſtris praefationibus conciliare, atque vltra trigeſimam paginam eas extendere poſſunt. Quod quidam naſuti clamant, has picturas ineptis et intempeſtiuis argutiis plane a naturali pulchritudine, quam hodie depereunt, recedere, quid? quod libri argumento vt plurimum nullo modo reſpondere, id nolim Vos quidquam commoueat. Iam paſſim has regulas nouitias ſecure ſperni animaduertimus. Nuper admodum, cum ſcriptor quidam Latinus eo cultu euulgaretur, vt a Librario ſeculi decimi elegantiſſimo exornatum omnes iurarent, paſſim a Viris, qui commentarios R. P. litterariae moderantur, doctiſſimis, iis laudibus

Digitized by Google

dibus eſt exceptus, vt magnificentiores vix transmiſſo libri exemplo emi potuiſſe videantur. — Poſſem nunc Librariorum noſtrorum fortitudinem, conſilium, magnanimitatem, ac ceterarum virtutum turmas praeconiis meritis extollere, quae alias numis aureis ab oratoribus, laudabili ſane more, venduntur. Quos cum mihi neminem Veſtrum daturum, facile praeuideam, ad alia me conuerto, quibus Vos eo lubentius attendere confido, quo plura prolaturus ſum, quae Veſtras, Veſtrorumque amicorum laudes ita ſibi inuicem coniungunt, vt dubium ſit, vtri maior exinde gloria, fama perennior concilietur.

 Malam

Malam Vos, P. C. fabulam laedere, non ignoratis, qua Vobis ruſticitas, morum quaedam inſuauis triſtitia, perpetuum rixarum acerbarum ſtudium odiumque conſuetudinis aliorum exprobratur. Quam ſi non vsquequaque falſiſſimam, (qui enim poſſem?) vanam tamen interdum et irritam docuero, Vosque Librariorum opera et virtute ſaepius humaniſſimos oſtendero, ecquid erit pretii? Raro cuiquam Veſtrum ea contingit felicitas, vt ipſe libris manuſcriptis inſtructus ſit, quorum Variis Lectionibus ſcriptoris editionem, quam geſtit emittere, largiter inſtruere queat. Regales fere cenſus iſta ſuppellex poſtulat,

at

Digitized by Google

at Veſtri ſacculi frequenter, nefas! pro nummis pleni aranearum inueniuntur. Igitur externa circumſpicienda auxilia, adeundos talium theſaurorum beatos dominos pulcre intelligitis. Id vero qua comitate, quibus blanditiis facitis? Quas tunc litteras humaniſſimas exaratis? *„Iam dudum Vos Viri Celeberrimi eru„ditionem magni feciſſe, amicitiamque cu„pide ambiſſe, ſed pudore deterritos, ta„cita reuerentia coluiſſe Nomen Clariſſi„mum. Viciſſe tandem publicae ſalutis „ſtudium, et cum MS. auctorem penes „eum, digniſſimum poſſeſſorem, aſſeruari „conſtet, cuius nitidam editionem Vos pa„raretis, vt Vobis vſum eius libri ne inui„dere*

„*dere velit, omni reuerentia Vos rogare.*
„*Hoc ipſum praeclaris ſuis in rempubl.*
„*litterariam meritis quaſi cumulum addi-*
„*turum*, Iouem lapidem iuratis, *Vos-*
„*que gratiſſimum animum quacunque occa-*
„*ſione promtiſſime teſtaturos eſſe, ſemper*
„*Patronum ſummum habituros.*" Qui-
bus quid elegantius dici aut cogitari
poteſt? Durus ſit, et plane agreſtis, qui
non lectis his litteris codicem ſtatim ad
Vos transferendum, ſoluta etiam vectura
curet. Tunc vero noua laudum facies,
peracto negotio, felicibus amicis ſurgit.
Mulcent haec ſane, ah! mulcent ani-
mum verba in praefatione lecta: „*Hu-*
„*ius codicis benigniſſime, vt ſolet, copiam*
„*mihi*

Digitized by Google

„*mihi fecit V. Cl. in quo ſumma eruditio*
„*cum perfectiſſima humanitate de palma*
„*quaſi certare videtur. Excerpta mem-*
„*branarum debemus beneuolentiae V. Cl.*
„*cui publice gratias merito ago.*" Hem, vt nunc Vos ante

Nec viſu faciles, nec dictu affabiles vlli,

repente quaſi in aulis principum educati, blandi ſubito aſſentatores apparetis (*)! Verbulum autem, niſi codicum indigis,

(*) Omnes tamen elegantia ſuperaſſe videtur ineptus ille Perſii editor, *Sebaldus*, qui cum codicem manu exaratum a neſcio quo Patricio Norimbergenſi vtendum accepiſſet, imaginem viri plagulae, quae Varias Lectiones inde excerptas continebat,

Digitized by Google

indigis, Vobis vnquam humanius exci-diſſe? Nunquam equidem, iſthoc vt cre-dam, me adduci patiar. — At enim ingratos Vos et moroſos in magiſtros et conditores artis multi perhibent. „*Peſ-*
„*ſime hunc locum interpolarunt librarii.*
„*Manifeſtam oſcitantiam librariorum ſe-*
„*quentia teſtantur. Videntur in huius*
„*vocis corruptionem quaſi conſpiraſſe ignaui*
„*deſcriptores.*" — Talia in animaduer-ſionibus Veſtris creberrime occurrere aiunt. DI boni, quam parum callidi-tatis homines maligni ad Vobis detra-hendum

tinebat, perquam ridicule praefixit. Nec diu poſt, ne praemio careret ſtupor hominis, ludimagiſter in agro Norico conſtitutus eſt.

Digitized by Google

hendum afferunt! Nusquam maiori conſilio mihi ſcribere videmini. Quod ſi enim librariorum, ſi qua eſt, ſupinitatem, amicitiae cauſſa, diſſimularetis, quam facile imperita plebs, parum Vos fuiſſe acutos, parum laboris et moleſtiae in conſcribendis commentariis ſubiſſe, ſuſpicaretur. Adhaec eruditionem non melius quam carpendo, per quos profeceris, certiusque probari poſſe, multorum exemplo docemini. Hinc illae indignationis fictae ad populum phalerae; illa irarum perſona ſpecioſa, quam non niſi a familiaribus Vobis detrahi prudentiſſime conceditis: Quanta pietate in cubiculis Librariorum Veſtrorum memoriam

Digitized by Google

riam recolitis? Quae baſia codicibus figitis, quibus ardentiora vix vnquam ſenem Epicurum Leontio ſuae, aut, ſi Vos magis domeſtica exempla delectant, Parrhaſium Valeſiumque ſenes ſponſis tenellis tuliſſe credibile eſt? Quibus amplexibus membranas collo adſtringitis tanto arctioribus, quo plures lectionum varietates easdem exhibere cognoſcitis. Tunc Vos beatam Librarii manum abſentem mente oſculari, tunc tripudiare prae gaudio, atque in has voces cantabundi erumpere:

Mi animule; mea vita, mea medulla,
mea feſtiuitas!
Sine Tuos ocellos deoſculer, voluptas mea!
Sine,

Sine, amabo, Te amari, meus feſtus dies!
Meus pullus paſſer, mea columba, mi
lepus!

I nunc, quisquis es, et iram Criticorum fictam, Librarios Vobis in deliciis eſſe, nega!

Iuuat nunc, etſi forte mirum id nulli, aut ignotum videri poteſt, ſed iuuat laboris hanc aſſiduitatem, et pertinaciſſimam induſtriam, quam Librariorum prouidentiae vnice acceptam fertis, celebrare. Herculem ego profecto, qui Augiae ſtabulum maxima aerumna expurgauit, ſi Vobis quidem comparetur, nihili hominem et inſtrenuum fuiſſe, affirmare auſim; ita omnes ingenii cor-

Digitized by Google

poriſque neruos operoſiſſimis laboribus expediundis, intenditis. Non ita Metaphyſicus in definitione *Spatii* magis obſcura et barbara indaganda, non Phyſicus in noua culicis aut polypodis ſpecie diſtinctius internoſcenda defixus haeret, quam Criticus quispiam, qui codicibus nonnullis conferendis operam impendere coepit. Mane ſummo diluculo cubiculum ingreſſus, Muſis ante cum Phoebo rite precibus vocatis, menſae decem membranis ex ordine inſtructae aſſidet, tantoque ſtudio lectiones variantes inde excerpit, vt ſi quando eum ſternutare contigerit, ipſi naſo ſuccenſeat, nimis impudenter momentum temporis ſibi vindi-

vindicanti, quo verſiculus perlegi aptius potuiſſet. Dum ſic oculis irretortis vsque legit, multas pagellas *collatas*, multas quoque ſcriptas cum voluptate vertit, ecce! inſtat meridies, puer, vt accumbere velit cum familia, rogat. — Hui! tam cito? paulisper hodie prandium differri iubeo. — Mos geritur, et crepantibus licet inteſtinis, exſpectatur. Tandem vxor, ſubtriſtis accedens: Vnquamne tibi, marite, prandere vacabit? Prorſus ſi ceſſas, oluſculum corrumpitur. — Vah! moleſta es; mene ventris cauſſa rem maximi momenti negligere poſtulas? quidquid fiet de prandio, haec plagula mihi abſoluenda eſt. —

Nec magis incepto vultum ſermone mo-
vetur,

Quam ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia
cautes.

Tandem — o felicem familiam! — accumbit;

Violentus, audax, mutus, iratus, ferox,

mappam cogitabundus, ceu librum, euoluit, cultello, quas deſcripſit nouiſſime, Varias Lectiones diſco incidit. Sed iam ſurgit ocius, et ſe ad amores ſuos abdit, emenſoque, quod ſibi decurrendum propoſuerat, ſpatio vix tandem poſt mediam noctem thalamo ſe reddit, ſomniansque turbidis vocibus: *Sic conſtanter tres codd. in 4to τὸ: et omiſſum etc.* percuſſo mani-

manibus puluinari, coniugis attonitae quietem, haud ſane iucunda de cauſſa, interrumpit. Huic, obſecro, aliquis induſtriae, huic feruori parem in aliis obſeruauerit? ICti, vbi in antemeridianis horis declamauerunt in foro, raucum litigiis guttur poſt meridiem in popinis largo mero proluunt, aut tempus alea fallunt, curas malas craſtino reſeruantes, atque alius ordo, cui neque potare cum amicis, neque ludere teſſeris conceſſum, liberis procreandis per otium honeſtiſſimam operam impendit. Soli Vos, incredibili patientia, humana tantum non maiore, quid ſit animum relaxare, quid genio indulgere, ignorare

Digitized by Google

videmini; Vobis continua laborum ſeries luſus eſt et otium. Equidem ſtudium Veſtrum laudo, et conatibus, barbariem profligandi, vt par eſt, ex animo faueo, attamen, (ignoſcite homini meticuloſo, tuta fortaſſe metuenti,) quoties, quo in ſtatu res Noſtrae ſint, accuratius mecum expendo, moeſtus ſtupeo, et lethali velut pauore correptus, totus contremiſco. Vnde tandem, voluentibus annis, queis ſine omnem laborem Noſtrum torpere atque interire neceſſe eſt planiſſime, codices ſemper noui ſuppetent? Quaenam ſors blandior nobis ſemper offeret diuina volumina, non Criticorum cuiusquam oculis luſtrata, nondum

Digitized by Google

dum *collata?* Quas non maiores Noſtri bibliothecas excuſſerunt; quae loca, ſenta ſitu, non cum ſudore perrepſerunt auide, ſi qua inde librum manu exaratum extrahendi ſpes affulſerat vel minima? Exhauſta iam fere aurearum membranarum copia, quae plenas Lectionum Variantium et *Excerptorum* chartas Nobis nunquam non fideliſſime reddiderunt, nec quomodo huic inopiae apte ſuccurri queat, quidquam conſilii ſupereſt. An veteres illas, cunctisque notiſſimas, denuo vſurpabimus? At cum nuper Noſtrorum quidam id tentarent, quo ſibilo a maleuolis cenſoribus excepti ſunt? An fraudes potius vocabi-

mus in ſubſidium, et codices fingemus, qui nulli ſunt? Sed quis tunc pudor doli, ſerius ocius deprehenſi? — O res noſtras afflictas et perditas! O funeſtum nobis typographiae, quam ceteri eruditi tantis laudibus extollunt, et luctuoſiſſimum inuentum! *Infauſtum*, qui Te primum omine ſiniſtro excogitauit, *Fauſtum!* Cur non, crudelia fata, ſi nobiliſſimam artem librariam penitus aboleri et exſtingui decretum erat, vel vnicum ſaltem ſeculum Nobis condonaſtis, quo pluribus Libb. MSS. inſtructi, minus pro Critices dignitate et incolumitate, minus pro poſteris Noſtris infelicibus trepidaremus? — Agnoſco gemitus Veſtros,

ſtros, fidiſſima pectora, lacrumasque per genas ſqualidas perquam miſerabiliter cadentes agnoſco. Vtinam vero ita mihi in promtu ſit, mederi huic dolori iuſtiſſimo, vti quidem dies noctesque cupio! Praeterea tot monſtra turba quaedam Criticorum nouitia litterarum ſtudiis intulit, vt proxime interitura haud obſcuris indiciis colligamus. Quis patrum Noſtrorum memoria non maximam inſaniae ſpeciem incurriſſet, qui Criticum Gallici, Anglici, et Italici ſermonis gnarum eſſe voluiſſet? Nonne iſtae linguae ex Latinae triſtibus ruinis emerſae, barbarae, incomtae atque inficetae ſunt? Has tamen ſceleſti, ſtudioſe ad-

 diſcunt,

diſcunt, atque adeo e libris recentiorum, proh qualem audaciam! lucem ſcriptoribus antiquis accendere non erubeſcunt. Hoc,

Hoc fonte deriuata clades
In Criticam Criticosque fluxit.

Hinc ſtolidae et putidae Lucumonum iſtorum de ſenſu veri et venuſti nugae; quem iuuenes ne fando quidem, credo, audiuiſtis, hinc futiles de imaginibus fortibus, commouentibus, de pictura, de vmbra, coloribus, affectibus, characterum apta collocatione et ſexcentis aliis gerrae, quas bardi, blenni, ſtipites, barones inſulſiſſimi et inſaniſſimi comminiſcuntur, et ex latrina cerebri

febricu-

Digitized by Google

febriculoſi affatim depromunt. His monſtroſa noſtrae aetatis et deſpuenda indoles applaudit, horum ſcripta emuntur, peſſimoque exemplo placent. Quid Nos contra miſeri? Quo Noſtra gloria indies recidere videtur? Spiſſa illa Variarum Lectionum volumina, iam ingrati hominum otioſorum labores audiunt; *diſſertationes antiquario-philologicae* de clauibus, de equitibus, de fibulis, de matulis, de comiſſationibus Romanorum, quas ſumma induſtria Viri Cl. congeſſerunt, mediocris ingenii foetus appellantur, atque orationes et carmina Noſtra nemo vel obolo redimit, niſi riſu qui ſalubri ilia quatere cupiat. Prae-

terierunt

Digitized by Google

terierunt ea tempora, vbi qui libris per aliquot dies immotus inuigilare poterat, qui menſam abdomine, continuo aſſidendo, atterere (*), certiſſimus de nominis celebritate eſſe debebat; vbi parens filium admonebat, vt ſe modo indefeſſae librorum lectioni addiceret, induſtriam enim ingenio nimium quantum praeſtare. Quos olim Viros ſummos, et reipubl. litterariae heroas admirabantur maiores, quos ludimagiſtri innumeri

(*) Schwartzium illum, doctorem Altorfinum, antiquitatis magis ſtudio, et indefeſſa induſtria, quam aut venuſtate ingenii, aut ſagacitate conſpicuum, menſam, cui per multos annos aſſederat, nonnihil attriuiſſe conſtat, idque diligentiae ſuae ligneum monumentum hoſpitibus laetabundum ſubinde oſtentaſſe.

Digitized by Google

meri non ſine ſacro horrore nominabant; de iis nunc, an ſatis mente valuerint, ambigitur. — O DI immortales, in quae nos reſeruaſtis tempora! Haeccine homines ſenes a iuuenibus, vix dum prima lanugine malas veſtitis, ſufferre aequum eſt? Cur, quae aliis contingit vltionis opportunitas, vt ſecus ſentientes apud popellum vt homines impios et nefarios in capitis diſcrimen adducant, Nobis iniquiſſime negata eſt? — At Vos, Critici nouitii, mera flagitia, reipubl. Noſtrae euerſores, barbariei fautores, iuvenum corruptores, Vos, inquam, ſacri ſemper et inteſtabiles eſtote, Vosque DI, Deaeque, quibus Critice curae

eſt,

Digitized by Google

eſt, omnibus modis perdant, eradicent, infortunioque maximo mactent! Nunquam vnius verſiculi titulus nomina Veſtra in libris comitetur, nunquam ſanctum illud et verendum M., ceu lucidum ſidus praeradiet! Nulla Vos vnquam aditialis coena madidos domum remittat, nulla vultus Veſtros imago poſteris tradat! Adhaec vltrices Robortelli (*) Barthii, Manutii, et ſi qui alii toruo ac truci vultu celebres fuere, atris Vos ignibus, ardentibus pro face ferulis, exagitent, et vt perpetuo anxii aetatem agatis, curent! — Longius me iracundiam abri-

(*) cf. de huius imagine Io. Imperial. muſ. hiſtor. p. 61.

Digitized by Google

abripuiſſe in dicendo intelligo. Nunc, quaeſo, extremum mihi laborem concedite, et quomodo Criticae verae priſtinum honorem quam aptiſſime reſtitui poſſe, arbitrer, benigne audite. Veſtrum erit, hoc qualecunque conſilium meum Veſtris vel approbare, vel reiicere ſuffragiis; mihi pietatem, deque R. P. bene merendi ſtudium vel fruſtra demonſtraſſe, ſufficiet.

Quantum pompae ſolemnes ad ſplendorem et auctoritatem rebus quibusuis conciliandam conferant, quantum vulgo ſtudia hominum excitent, atque incredibili alacritate in amorem ſui et admirationem rapiant, Vos minime fugere poterit.

Digitized by Google

poterit. An Romae aliud quidquam fortitudinis laudem efficacius commendaſſe, ciues ad res praeclariſſimas gerendas magis inflammaſſe, auguſtis illis imperatorum triumphis dicamus? Multos certe noſtro etiamnum aeuo publica quadam celebritate amicos et ſocios allicere non ſine ſucceſſu videmus. Quod igitur Diuinae Criticae, Nobis, omnibusque, qui ſaluam hanc et incolumem volunt, bene ac recte vertat, vt ludi ſolemnes in Librariorum veterum honorem inſtituantur, iique vt quotannis caſte et religioſe ſtatis cerimoniis celebrentur, cenſeo. Dixi, quod optimum ſemper factu mihi viſum eſt, nunc, quomodo

Digitized by Google

quam ſplendidiſſime inſtitui poſſe putem, aperiam. Prid. Kal. Apr. quoquo anno omnes, qui vbique ſunt, Critici genuini in vrbem, de qua conuenerit, confluant, quaeque ad rem peragendam ſacram vſui eſſe animaduertant, rite adornent. Poſtero die, ciuibus atque hoſpitibus per praeconem conuocatis, pompa ex arce hoc quidem ordine deducatur: Primus ito Dictator, ſorte electus, toga pulla, clauis puniceis praetexta, calamum trium cubitorum dextra gerens, ſyrmaque capillamenti pone duo ſeruuli ſuſtinento. Hunc proxime duodecim Reipubl. Criticae proceres, hini euntes, et primus tibicinum chorus ſequuntor.

Digitized by Google

tor. Mox, praeeuntibus duobus praeconibus cum caduceis, ſtatuae et imagines veterum Librariorum, humana ſpecie maiores in tenſis deauratis, ſtragula veſte picta ornatis, a Criticis feruntor. Hos vt ſuae virtutis documenta e veſtigio ſequantur, aequiſſimum eſt. Quare primo plagulae, quibus Variae quorundam codicum Lectiones aeri ſunt inciſae, ſublimes geruntor, vt et quinquaginta codices manuſcripti antiquiſſimi, aperti, et corollis myrteis exornati. Poſt iterum tibicines et foculi cum odoribus ſucceduntо. Denique inſtrumenta, quibus vſi quondam librarii ad deſcriptionem Schwarzii, accurate

effícta,

Digitized by Google

effiċta, cultelli, calami, pumices, arculae etc. ex ordine, ſublimia proferuntor, victima cum tibicinibus poſtremis, et quod Criticorum reliquum eſt, agmen claudunto. Omnes ad numerum decenti quadam grauitate mouentor, aſſidueque carmina decantantor, primum Horatii illud: *Exegi monumentum aere perennius* etc. deinde vero, quae ciues, ſi qui ſunt, *Smetipotentes*, obtulerint, quorum nullum reiicitor, niſi quod *Chronoſticho* caruerit. Nemini honos, fercula portandi, tribuitor, qui non pugna aliqua Critica inclaruerit. Cuncti adſunto laureati, et vt quondam milites Romani

triumphantes, phaleras et coronas, quas erant adepti, publice oſtentabant, ita libros, libelloſque quisque, quos ſcripſit, nitide compactos a pueris, aut ſi vires eorum ſcriptorum onus ſuperauerit, in plauſtro a iumentis ſibi praeferri curato. Via pro floribus, ſcriptis pſeudocriticorum minutim diſcerptis ſpargitor. Vbi ter pompa forum circumiuerit, ad aram Criticae exſtructam, Dictator accedito, arietem bimum Diuae mactato, exta inſpicito, ſacrificium ritu antiquo peragito. Dum hoſtia adoletur, hoc carmen cantator:

Digitized by Google

(*) *O Dea, quae tacitis reſidens ſub rupibus, olim*
Ringeris, aeternum obrodens ſub corde laborem!
Huc ades, o Critice mater; Te quattuor arae
Hic, o Diua, manent, ruſco vrticaque reuinctae;
Carduus hic, ſpiniſque frequens paliurus acutis,
AbſinthIque latex, acri confuſus aceto,
Et quae ſopitos valeant peruellere ſenſus,

(*) Hoc carmen Tan. Faber, Diuae Criticae, vt ait, cecinit, cum locum quendam Iuſtini ex coniectura emendaſſet. Exſtat in editione Iuſtini Graeuia, p. 625.

At pro Malobathri foliis, pro thure Sabaeo
Iuniperus mordax plena Tibi fumat acerra.
Huc ades, o Regina, Tuo ſi numine dignum eſt
Carmenque, et ſacrum, Tibi quod Tua turba parauit!

Tunc in arcem reuerſi, omnes Critici pollucibili prandio excipiuntor. In forum adpoti reuertuntor ibique ludos inſtituunto. Primum libris onuſti, ad metam curſu celerrimo tendunto, quam qui primus adtigerit, ſertum ex vrticis nexum capito. Mox lucta, qui volent, ſeſe exercento, praemiumque victor atra-

Digitized by Google

atramenti amphoram, calamos mille ferto. Ad poſtremum Cyclopa et Cordacem ſaltanto; qui maximos plauſus populi tulerit, ei tres cadi vini veteris traduntor. Huic ſaltationi, dum viuet, ſemper * * * * intereſto, ac mitra pallaque barbarica indutus, cantilenam aſſa voce praeito. Peractis ludis Dictator orationem de ſuggeſtu habeto, in qua Librariorum et Criticorum laudes extollito, nouitios eruditos diris deuoueto. Tum demum miſſilia in populum ſparguntor, et concio dimittitor. — O quanta mox Critica his ludis incrementa capiet! Quanta celeritate amiſſum pri-

Digitized by Google

dem vigorem reparabit! Certatim pueri, bellariis et ſuauitate ludorum capti, operam ſuam Criticae deſtinabunt, ſeque in ſacraria donabunt Diuae, quae cultores tam lepidos habet, cui tanta feſtiuitate ſacra fiunt; nec viri adulti tot praeclariſſimarum rerum viſu et auditu quaſi perculſi, tam inhumani erunt ,et feri, quin Nobis fauere incipiant, et aduerſariorum Noſtrorum libros admirari magis magisque deſiſtant. Sic paulatim langueſcet inimicus ille, qui nunc omnium animos inauſpicato inſedit, veteres aptius explicandi impetus, exſtinguetur penitus male ſana cupido, in ſcriptis Criticis

Digitized by Google

cis vltra Lectiones Variantes et iurgia, quidquam legendi, atque dulciſſima verba: *Codex*, *Membranae*, *ſic reſtituo*, *emenda*, *MSS. locus deſperatus etc.* chartas omnes iterum feliciſſime implebunt. O beatos vere Criticos poſteros! Quam ſincera voluptate fruituri eſtis, cum proſtratis hoſtibus, illatas indigne Veſtris maioribus iniurias grauiter vltas videbitis! Quo ardore ſcriptis doctiſſimis componendis vacabitis, cum nullus Vos amplius riſus hoſtium amarus; nulla bibliopolarum callida auaritia ſollicitos habebit? O ſecula plane aurea! — Sed iam plus iuſto Veſtra patientia ſum abu-

 ſus,

ſus, nec tempus nundinarum inſtare imprudens cogitaui. Quare, ne Vos diutius a libris, quos proxime edituri eſtis, expoliendis inuitos abſtraham, vela colligam, finemque meae orationi imponam, quam ſi nihil aliud, certe fidele communis ſalutis ſtudium Vobis non prorſus iniucundam reddidiſſe ſpero. Nunc Vos, O illuſtres Librariorum manes, quorum honori et gloriae immortali, quam fruſtra peſſimi obtrectatores ore nigro allatrabant, vindicandae, hoc, quidquid eſt, laboris, lubentiſſime impendi, Vos, inquam, poſtremum hoc mihi iam ſaluete atque auete!

— *Mani-*

Digitized by Google

— — *Manibus date lilia plenis,*
Purpureos ſpargam flores, animasque beatas
His ſaltem accumulem donis, et fungar inani
Munere.

Quod ſi ego nec pretio corruptus, nec vili adulandi libidine compulſus, ſed aſſidua immortalium Veſtrarum virtutum contemplatione vltro quaſi inuitatus, ad laudes Veſtras praedicandas integer acceſſi, ſi pro mediocritate huius quantulaecumque in dicendo facultatis ingenue merita Veſtra de litteris manſuetioribus aeterna veneratus ſum, hoſtiumque cauilla-

cauillationes animoſe eluſi, ac nihil plane omiſi; quod ad commendationem memoriae Veſtrae facere videbatur; hanc mihi vnicam, rogo, gratiam referte, Nosque gentem Veſtram, quae Vobis ſpiritum, famam, omnia denique debere fatetur, placido lumine reſpicite. Erumpite paulisper e ſepulcris, et ex venerabili monaſteriorum vetuſtorum vmbra procedite, et ſi mortalia beatiſſimas mentes adhuc tangere poſſunt, tam numeroſae poſteritatis adſpectu hilares fruimini. Nos certe ſemper terram Veſtris cineribus leuem precabimur; ſemper ſpumantes calices Vobis, ceu Geniis

noſtris,

Digitized by Google

noſtris, reuerenter libabimus. Vos autem Critici, tantis imaginibus clari, ne quid vnquam indignum talibus proauis committatis, etiam atque etiam prouidete. Illud vsque memineritis, quantum diſciplina Veſtra grauitate et vtilitate praecedat ceteras, tantum Vos moribus quoque ab eruditis reliquis, ſi modo hoc nomine digni ſunt, omnino diſcrepare debere. Sic Vos perpetuo aduerſariis terrori, amicis voluptati et praeſidio ſitis, ſic membris, quae in conferendis codicibus exercentur maxime, ſemper vegetis et firmis gaudeatis, ſic denique, quo nihil erudito Viro poteſt accidere

iucun-

Digitized by Google

iucundius, ſcripta Veſtra et a bibliopolis multo aere conducantur, et in diariis litterariis certatim laudibus ſummis extollantur.

II. DE

II.

DE STATV

REIPVBLICAE MOROPOLITANAE

LITTERARIO,

AD AMICVM EPISTOLA.

Vbi mores deteriores increbeſcunt indies,
Vbi, qui amici, qui infideles ſint, nequeas pernoſcere,
Vbique id eripiatur, animo tuo quod placeat maxime,
Ibi quidem, ſi regnum detur, non eſt cupita ciuitas.

PLAVTVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

EVPHORMIO EVMOLPO SVO

S. P. D.

Saepe ex me quaeſiuiſti, Eumolpe ſuaviſſime, quid de re publica, de moribus, de ſtudiis denique Moropolitanorum litterariis, quibuscum ſors mea me diutiſſime verſari voluit, ſentirem, atque admonuiſti etiam, vt, quae minus mihi probarentur, libere, meo more, notarem. Ac de illis quidem Tibi iam ſatisfeci, de his moras ſubinde, vt ipſe quereris, longiores nectens. Verum ignoſce tardo. Noueram, nihil eſſe difficilius, quam recte de gentis cuiusdam vitiis iudicare, ita, vt nec ſingulorum

Digitized by Google

culpa in omnes inique transferatur, nec rurſus communis turpitudo leniter nimis excuſetur. Tuae tamen preces, quibus nunquam deeſſe poſſum, dubitantem me mouerunt, quo minus rem arduam mihi refugiendam putarem, quamvis tot fuerint ſubeundae moleſtiae, quae vel laborum patientiſſimum ab incoepto deterrere potuiſſent. Quot enim miſero mihi horae bonae erant perdendae? Quot numuli erogandi? Popinas, crede mihi, tabernas, thermopolia cuncta perrepſi, cauponum, vetularumque familiaritatem ambiui, quid, quod puellarum quoque circulis interfui. Miraris fortaſſe haec narrantem, et: quid iſta

tibi

Digitized by Google

tibi in mores et ſtudia virorum eruditorum inquirenti, profuerunt? cum ſtomacho exclamas? Sed animum, o Noſter! paullum obfirma; plaudes mox mihi, et rectam me viam ingreſſum, fatebere. Ante tamen, ſuadeo, rugas, quas in frontem coëgiſti, remitte. Nihil hic, quod ſeuero vultu legiſſe praeſtet, inuenies. Quin tu potius hilari contemtu miſerae gentis barbariem ex me cognoſce, et tunc, digna enim res eſt,

Ingemina tremulos naſo criſpante cachinnos.

Moropolin ciuitatem olim, vt artifices, ingenio et arte celebres, ita viros in quauis diſciplina eruditiſſimos produxiſ-

ſe, conſtans fama eſt, nec ego huic opinioni difficulter acceſſerim. Loquuntur illud praeſtantiſſimi ipſorum libri, qui exteris habentur in pretio, a ciuibus, indignis tantis proauis, aut muribus rodendi relinquuntur, aut in vicum, tus et odores vendentem, deferuntur. Id nempe metuunt callidi, ne quis malignior, deteriores ſe his eſſe, et ne intelligere quidem maiorum ſcripta, nedum imitari poſſe, haud abs re ſuſpicetur. Sed vt ad antiquiores illos reuertar, nulli, barbariei iugo decuſſo, redeuntes ab exilio litteras maiori cum reuerentia amplexi ſunt. Quare et optimo conſilio ſcholas inſtituerunt, et ma-

giſtrorum

giſtrorum rebus pulcre proſpexerunt, ne, quibus poſteritatis ſpes potiſſimum commendaretur, ii, ceu homines nullius frugis, eſurire cogerentur. Nec diu conatus honeſtiſſimi euentu exoptato caruerunt. Nam praeter ſummas laudes, quas apud omnes conſequebantur, ciues habuerunt eximios, patriae commodis egregie inſeruientes. At enim, quid non damnoſa dies hic quoque imminuit! Vix ardor ille nobilis aliquamdiu mentes tranquille inſederat, cum ecce! fatis voluentibus, cuncta ſenſim

In peius ruere, et retro ſublapſa referri.

Digitized by Google

Quippe amore bonarum litterarum indies magis refrigeſcente, pauciſſimis exceptis; quos ſolida ornat eruditio, qui tamen, niſi ſummum contemtum, reique familiaris anguſtias perferre velint, cuncti fere ſolum, ſerius ocius, vertere coguntur, maxima mole hominum ſtupidiſſimorum ſemper laborauit ciuitas, quos iratis Muſis natos, aut potius ex antiquiſſimorum coenobiorum ſepulcris progreſſos credas, quorumque faſtum potius, an foedam ignorantiam rideas, dubius haeſites. Sed tempus eſt, rationem tibi laborum meorum reddendi, ne te diutius curioſulum morer. Tu aſſem modo parato, nam fabulas plane aureas accipies.

Cum

Digitized by Google

Cum nondum, manſuetiores litteras callere, piaculum eſſet, nondum, qui graecos libros euoluere didicerat, ridiculus paedagogus vocaretur, eruditi ciuitatis in Apollinis Muſarumque fide fuerunt. Mox cultus iſte abrogatus tacito conſenſu, numen peregrinum, loco auitorum, inuectum eſt. Auctores facinoris veros obruit dudum obliuio. Ex Gallia oriundos narrant. Tunc nomen etiam ciuitatis, (*Muſopolin* fuiſſe ferunt,) mutare placuit, ne vel ſic ingratorum numinum inuiti ſaepius admonerentur. Arriſit nouum: *Moropolis*, nec iniuria. Minime a prioris veſtigiis recedere videbatur. Quem vero Deum

noſtros tali honore dignum cenſuiſſe, autumas? — *Stupor* eſt, veteribus prorſus ignotus, nunc multis gentibus ſanctus et verendus, deſpectus fere nullis. Cuius de diuinitate minime quemquam dubitare ſinit incredibilis celeritas, qua Moropolitanorum animos ſibi deuinxit; ipſe enim Liber pater, huic ſi conferatur, Indos multo edomuit tardius. Hinc et auguſtiſſimum ei templum poſuerunt, et pompam quotannis ſolemnem ducunt, puluinarque ſtruunt. In medio ſedet ipſe ingens, vultu hilari, buccis inflatis, lingua decenter paulum ſupra labia turgida eminenti, oculis nonnihil conniuentibus. Venter popa omento tremit,

dextra

Digitized by Google

dextra trullam, pernam ſiniſtra tenet. Veſte indutus eſt coccinea, caput denſo capillamento, pulcre criſpo, ſuperbit. In ipſo ſacrario ſuſpenſae ſunt imagines myſtarum Dei fidiſſimorum, quorum vt quisque ſtupiditate per vitam fuit praeſtantior, ad aram collocatur eo propius. Datur et hic locus exteris, quos inter * * * et pauci alii eminent. Hunc igitur talem, quicquid Moropoli litteris vacat, veneratur, omnesque ſacerdotes numinis conſtituti ſunt. Facillime quis collegio ampliſſimo adſcribitur, nec repulſam temere laturus eſt, niſi forte ſe ab humanitatis ſtudiis haud plane alienum oſtenderit. Horum ſe

rudem prorſus et expertem iurare cogitur, haec ſemper petulantiſſimis ſe conuiciis petiturum, quid quod abrogaturum etiam, ſi detur facultas, promittat ante, neceſſe eſt. Praeterea curabit, vt vino tertio quoque die ſe ingurgitet, nec lares veſperi, niſi ebrius, reuiſat. Libros praeter ieiuna quaedam et puerilia ſcientiae, quam colit, compendiola, eosque, qui formulas ad quaeſtum faciendum vtiles continent, quantum pote, fugiat, fabularum Mileſiarum volumina poſſideat, quot volet. Bibliothecam ſibi comparare ſplendidam, modo ea vti neſciat, fraudi ne ſit. Poëtam veterem aut recentiorum praeſtantiſſimos ſi animi

caußa

cauſſa legiſſe fuerit conuictus, bullam geſtet per triduum, ſi graecum ſcriptorem, niſi oſtentationis gratia, nominauerit, amphora vini optimi mulctetur. Nihil vnquam, exceptis verſiculis, quibus aut nuptias amicorum, aut funera celebrare mos eſt, componat, ſi fame cogatur, aut libros Gallicos vertat, aut aliorum ſcripta, qua par eſt, impudentia et inſcitia, praeuia tamen cauſſae cognitione, compilet. Has leges, et quasdam alias, quae memoria exciderunt, (vt nihil ineptiis excidit facilius,) dici vix poteſt, quanta cum religione obſeruent eruditi Moropolitani, inſignia procul dubio commoda reputantes,

tantes, quae ex Stuporis cultu in ipſos redundant. Non ſolum enim eadem, qua Deus ipſe, veſte vtuntur, ſed variis quoque a ciuibus illiteratis honoribus, vbi repotiis intereſſe, aut funus comitari dignantur, titulisque inuidendis mactantur. Haud, credo, inuitus cognoſces, qua illi ratione a pueritia digni Stuporis fauore reddantur, imbuanturque litterarum bonarum odio, quod Tibi arduum ſemper videri memini. Scholis quam citiſſime eximuntur adoleſcentuli, idque non vno conſilio. Aut enim filiolus nimis infirma valetudine gaudet, quam vt ingenii vires per aliquot horas tuto poſſit intendere,

Digitized by Google

dere, aut, ſi gaudet, metuendum eſt, ne forte familiaritatem cum minutiis ſcholaſticis, quibus foedius nihil putant, contrahat. Quin potius frequenter eos comiſſationibus parentes adhibent, vt iam nunc otium ſapienter diſpenſare diſcant, puellarumque conſortium maxime commendant. Hoc mores fingere ſuaves et venuſtos, hoc alere ingenium, ac melius tetricis ſapientiae praeceptis expolire iactant. Nec minori cura mouere ad numeros corpuſculum, rudibus batuere, ludere alea, docentur. Felices adoleſcentes, qui has egregias artes fideliter didicerint! Quibus laudibus ornantur! Qua illi omnium ciuium gratula-

tione

tione felicis patriae ſpei reſpondere feruntur! Mox committuntur Academiae, in qua ne fruſtra tempus conterant, pulcre a Moropolitanis proſpectum eſt. Iubentur enim et philoſophiae et eloquentiae ſtudium, vt inutile quiddam, et quod *Curſum* moretur, (ſic enim loquuntur,) relinquere, nec niſi adamatae ſcientiae magiſtros per ſex ſeptemue horas continuas audire. Iures, hos doctrinam non inſtillare menti, ſed quaſi dolio velle infundere. Reliquum tempus, vt mens honeſto relaxetur otio, graecationibus impendere haud vetant. Nec immerito. Nam praeter vile cauſſas agendi opificium, quid eſt, quod diſcere

debeant?

Digitized by Google

debeant? — Tres annos ſic operatos ſtudiis, interdum etiam maturius, in patriam reuocant, puellam locupletem connubio iuncturi, aut munere quodam opimo mactaturi. Ne quis vero reuerſos minus, ad id dextre obeundum, valere doctrina prudentiaque arbitretur, myſtico quodam ante titulo, quaſi muniantur neceſſe eſt. Hoc vel infimae notae cauſſidicum deſtitui, nefas habetur. Olim non niſi graues viros, et longo rerum vſu conſpicuos, eo fuiſſe ornatos aiunt; nunc aere modico quemlibet emtorem ſequitur. Sanxit maiorum ſuperſtitio, ne quis hoc honore inſigniatur, priusquam libellum de quibusdam ad ſcientiam, quam colit, pertinentibus

conſcri-

Digitized by Google

conſcripſerit, quem mox publice, contradicentibus aliis, defendat, moleſtiſſima noſtris lege, niſi dudum aſtute, quo pacto hanc prouidentiam eluderent, reperiſſent. Magiſtrum prae aliis dilectum adeunt; rogant, ne ipſis hac quoque in parte deſit, numos denique, quod caput rei eſt, aliquot offerunt aureos. Annuit ille, et libellum conſcribit, rogatus verba etiam, quae defenſurus proferre debet, ſingula, ſchedulae inſcripta, amico eruditiſſimo non inuidet. Quid plura? Noſti ipſe ineptias.

— — — ἄνδρες
Καλὸν ἐθεαράζοντες ἀμοιβαδὶς ἄλλοθεν ἄλλος
Νεικείοις ἐπέεσσι.

Quibus

Quibus clara et diſtincta voce recitatis, praeconiis cumulati ampliſſimis, matris prae gaudio lacrimantis vlnis redduntur, et tunc demum, vt ipſi fatentur, viuere incipiunt. Crudelem hic vero, mitem alias Stuporem, qui ne nunc quidem *Viros Iuuenes* doctiſſimos dignos ſatis cenſet, qui gubernaculis rei publicae admoueantur, eorumque peritiam quodam quaſi exilio probari ſtatuit. Gallia noſtris, interdum Anglia quoque adeunda eſt, diuina gentium elegantiſſimarum balbuties addiſcenda, mores patrii cum exteris ſuauiſſime confundendi. Non multum tamen grauis eſt illis peregrinatio, vt, ſi patriae deſiderium

 excipias,

excipias, nunquam ſe vixiſſe commodius, ſenes ſubinde narrare ſoleant. Nam et ſcorta accumbunt, et oſtrea turdosque vorant, lepidisque ſpectaculis crebro interſunt. Adhaec vina praeſtantiſſima guſtare, atque iudicio acerrimo, vere critico, diſcunt dignoſcere. Ne quid de tunicis addam optimis, quarum fulgore oculos ciuium reuerſi praeſtringunt, exactiſſimaque elegantia id efficiunt, vt nonnunquam non futuri rei publicae moderatores, ſed virgines per vicos curſitare videantur.

Οὔτοι τοιοὶ δ' εἰσὶν ὑποδρηστῆρες ἐκείνων,
Ἀλλὰ νέοι, χλαίνας εὖ εἱμένοι, ἠδὲ χιτῶνας,
Αἰεὶ δὲ λιπαροὶ κεφαλὰς, καὶ καλὰ πρόσωπα.

Iam,

Iam, quod bene vertat, iuuenes e capſula totos, in patriam reduxi, ſapientiſſimamque inſtitutionem tibi enarraui; nunc qua ratione ipſi ſibimet relicti, tempus et otia diſponant, expediam. O hominem inquies, turture loquaciorem! Fateor; ſed cum nemine ſcito me confabulari lubentius, cui nihil me reticere patitur arctiſſima noſtra familiaritas. — Non ignorabis fortaſſe, Moropolitanos, gentem plane controuerſam, litibus vnice vsque ad inſaniam delectari, vt ſi Ariſtophanes remearet ab inferis, Veſpas nouas, longe acerbiores, ſcribendas ſibi videret caput lepidiſſimum. Et quid, quaeſo, mirum, ſi

Digitized by Google

aſperi ſibi difficilesque ſint, quorum pectora mollis ille artium ingenuarum ſenſus nunquam pertentat? Hi igitur viris, ſi DIs placet, doctiſſimis materiam exercendae induſtriae, et, quod prius nominare debui, lucrandi panis praebent largiſſimam. Quo quidem labore ſtrenui defunguntur noſtri, ita tamen, vt nunquam non cogitent, cuius numinis cultui deuincti ſint. Mane non admodum ſummo, e ſtragulis aegre euoluti, cum coniuge caldam ſorbillant, acta diurna obiter euoluunt, ac de rebus obuiis, vt ſunt interdum mire facete, ſuauiter garriunt. Vbi ſic animum ad cogitandum ſatis praeparatum

cenſent,

Digitized by Google

cenſent, niſi forte heſterna crapula intercesſerit, in Muſeum ſcripturi ſecedunt alii, alii non ferentes ſolitudinem, lignorum per hyemem parci, vel inter ancillas, lanam tractantes, aſſident. Noui ego quendam ICtum, propter inſignem ſtuporem primoribus ciuitatis cito adſcriptum, qui nunquam ſe ſapientiorem eſſe, nunquam meliores de litibus iudicandis libellos conficere iurabat, quam ſi in cubiculo coniugis, inter feſtiuos amicarum ſermones, manus operi admoueret. Tunc ſchedas quasdam aeſtuantes relegunt, caput ſcalpunt, puluerem naribus hauriunt, rem ſe tractare difficillimam, miſeranti vxori

Digitized by Google

narrant. Mox quaedam volumina ingentia, ignoto nobis et barbaro ſermone conſcripta, euoluunt, atque, — o rem mirandam! —

Credibile eſt, illis numen ineſſe locis, — vultu repente exhilarato, omnes difficultates feliciter ſuperatas, plaudente familia, exclamant. Iam digitis labor omnis committitur, (qui fidiſſimi curarum herilium ſocii, vt pretium ferant induſtriae, linteolis obumbrantur pretioſiſſimis,) atque iſti curſu rapidiſſimo, nulla ſane domini cum moleſtia, quam plurimas implent plagulas verbis diſertiſſimis. Agnoſcis diuinitatem Iurisprudentiae, quae nunquam amicis ſuis

aeſtuan-

Digitized by Google

aeſtuantibus deeſt. Quis vnquam miſellis nobis philoſophis Deus quaſi ex machina ſuccurrit? Nonne omnia per multas ambages, noſtro labore, noſtris vigiliis, nobis extricanda ſunt? — Eſt et aliud ICtorum genus, qui vt iſti digitis, ſic faucibus res agunt praeclariſſimas. Hos quaque die, facto agmine, per vias incitato gradu ruere, et vultu, qui Pallada non dedeceret, fora petere videas. Numerum quaeris? — Pro me tibi Plautus noſter reſpondeat:

plus eſt fere,
Quam olim muſcarum eſt, cum caletur maxime.

Digitized by Google

Ibi palliolo velati, quod omnem frontis ruborem, quem eiurârunt pridem, ſolum imbibiſſe videtur, gradu compoſito, clamorem maximum tollunt, nec niſi raui, aut prandii odore commoti deſiſtunt. Ipſe hos audiendo, ſubinde animum oblectaui, nam quid magis ridiculum foret, ne mente quidem concipere poſſum. Nunc ira facies rubicunda ſudat, nunc metu ancipiti pallet, riſus, vbi blaterat aduerſarius, ſubdolus, tuſſis, faucibus verba tardius eructantibus, inepte ſimulata, ſaltus, manuum comploſio, digiti minaces; quae cuncta me affecerunt tam ſuauiter, vt ipſum Roſcium mimis his poſtponerem.

Dignitate

Dignitate quidem cedunt *Faucini Digitariis*, (nam cur in re barbara non barbare loqui liceat?) quaeſtu tamen vbere fere vincunt. Singula quippe verba aere venduntur litigantibus, nec vel potantes quidquam gratis dicunt. — De medicis quid multa dicere attinet, ita vbique ICtorum ſunt ſimillimi. Soli, quod eſt memorabile, vnita binorum membrorum ope artem ſuam exercent potiſſimum; nam pedes ad infirmorum cubilia magna celeritate deportant, deportatos fauces magnopere in effutiendis nugis adiuuant, quarum ſaepe tam liberales ſunt, vt aegri frequentius nugis quam pharmacis, res mira dictu! enecentur. Eat

Digitized by Google

nunc Maro, et mutas artes medicas vocet, quarum cultores palmam cunctis inſtitoribus praeripiunt!

Talibus laboribus defuncti, aequiſſimum putant, curis quaedam gaudia interponere, ne animus intentione nimia male ante diem deficiat. In quo quis noſtros facile reprehendat? Iam olim Romanis rabulis Perſius

mane edictum, poſt prandia Callirrhoën

dedit. Maxima vero huius otii litterati eſt varietas, vix aliter, quam ex vnius cuiusque ingenio aeſtimandi. Qui pulcre ſuis rebus volunt proſpicere, et amare ſolida norunt, vetulas diuites

captant

Digitized by Google

captant iuſculis, qua munificentia parciſſimis etiam hereditatem extorquent. Alii, lucri non minus cupidi, ſed, puto, propter animi erectioris indolem, moroſitatem ſilicernii locupletis non ferentes, ad notas Iudaeorum artes ſe conuertunt, quorum felicem in vſuris exigendis calliditatem vsque ad inuidiam exprimunt. Omnes tamen longe vincunt numero, qui inter pocula temporis pomeridiani tarditatem ſolantur. — Quam vellem nunc, Eumolpe, alius narrandi laborem in ſe ſuſciperet, cui me, hac certe in re, imparem fateor. Sed pergam, vtcunque potero. Scito igitur, Moropolin ſuperbire tabernis frequentiſſimis,

tiſſimis, tantum inter alias orbis tabernas caput efferentibus,

Quantum lenta ſolent inter viburna cu-
preſſi. —

Serio loquor; genios his locis praeeſſe quosdam tutelares certiſſime mihi perſuaſi. Vnde tam frequens doctorum Moropolitanorum huc concurſus? Vnde eximia, quam exinde petunt, voluptas, ſola immutabilis, cum alias oblectationibus vel exquiſitiſſimis nihil citius vileſcat? Numina, crede mihi, Stupori amica, vini arcanum deſiderium mentibus immittunt, prouidentque, ne quid ipſius cultus detrimenti capiat. Quod ergo

Digitized by Google

ergo Viri Excellentiſſimi quotidie ſacra haec loca ſumma cum alacritate petunt, quod nusquam praeclarius tempus, quod ab *Actis* ſcribendis vacat, conſumi, et coenam exſpectari poſſe cenſent, quod denique adoleſcentes grauiter monent, vt ſi patronos ſibi et amicos quaerere, ſi patriae commodis olim cum laude inſeruire cogitent, paterna premere velint veſtigia, et tabernas inuiſere, totum muneris horum eſt numinum. — Quid plura? Ipſe, vt iam dixi, quo melius in mores doctorum virorum, exactiusque inquirere poſſem, ſaepius eiusmodi bibenti concilio interfui. Nunquam tamen maiori me voluptate perfundi memini,

Digitized by Google

mini, quam cum prima vice tabernam, ICtorum confluxu maxime celebrem, adirem. O diem iucundum ſimul et moleſtum, quo et incredibiles litteratae plebis ineptias clare edoctus, et nugis prorſus abſonis aures praebere coactus ſum. Vt primum comitante hoſpite meo, coenaculum amplum ingrediebar, fateor, tot virorum, vt ex veſtitu coniiciebam, grauiſſimorum adſpectu nonnihil turbatus fui. Nam tu, mecum ipſe tacitus, eleganti ſatis eruditione inſtructus es, qua talibus viris ſatisfacias? Num recte de poëtis, de quibus homines eruditi vel maxime diſputare inter pocula ſolent, iudicare poteris?

Digitized by Google

ris? Quid, ſi aut inſcitiam prodas, aut mutus, deſpiciendusque accumbas? Haec tum ego mecum: at bonae Muſae, quam mox ipſe vaniſſimum timorem riſi! — Seruabant ab initio conviuae antemeridianam grauitatem, nec quidquam loquebantur, niſi quod nonnulli, vt valerent, mutuo ſe interrogabant, alii pluuiam continuare admodum, lutum vias reddidiſſe ſordidas, narrabant. Interim potabatur impigre. Tum vero ſenſim animi incaleſcere, cachinni iam liberiores exaudiri, vini licentia in garrulos ſermones erumpere. Vidiſſes modo homines, ſenili aetati propiores, adoleſcentulorum more laſciuientes,

Digitized by Google

tes, ſapientiſſimumque eorum dicentem facientemque,

quod ipſe,

Non ſani eſſe hominis, non ſanus iuret Oreſtes.

Quouſque, exclamabat vnus, Ordiorum dux perdet copias pulcerrimas? En! iterum fuſus eſt proelio ſua ignauia. Vincunt vbique Caunii. Cui alter: bona verba, quaeſo. Non tam male rem geſſit imperator fortiſſimus. Modo proſpere cum hoſte conflixiſſe audiui. Caeſa ſunt viginti millia; captae legiones ſeptem integrae, ſigna cum tormentis reportata paene innumera. Mox citato agmine fines regni hoſtilis ingreſſus

eſt,

Digitized by Google

eſt, et iam vrbem capitalem obſidione cingit. Vae capiti tuo, regulorum nequiſſime! Quam mox iugulabere! His dictis, recitauit litteras, quas ſibi a tonſore quodam, homine amiciſſimo, hac de re ſcriptas affirmabat. — Dum hi magno ardore regna euertunt, togati Hannibales, aliis, qui pacis artium videbantur amantiores, animum aduerti. Quanti, vir alteri ſuauiter arridens, belliſſimum iſtud capillamentum emiſti? Vix credas, quam te ornet, quantam humanitatem vultui tuo conciliet. Nondum mihi ea fortuna contigit. — Vah! Iam iam obſoleſcit. Multo meliora ſeruo domi. Comparaui mihi, cum

 nuptiis

Digitized by Google

nuptiis Steſichori et Myrillae intereſſem; tunc ſyntheſin quoque illam, quam noſti, violaceam, primum indui. Sartori tamen haud modice iraſcor. Breuiores manicas fecit nebulo, quam quae virum meae dignitatis deceant. — O coniugium inauſpicatum! Quam me Steſichori miſeret! Iam talenta quatuor vxor prodiga conſumſit, et maritus, genubus proſtratus, ne ſe ſuosque perderet, veneficam obteſtatus eſt. — Ha, ha, he! illum ais, hominem, vt ſibi videtur ipſe, vrbaniſſimum, qui omnia naſo adunco ſupendere conſueuit? Ignoſce; nimis lepida res eſt cenſor, nota ipſe digniſſimus. Sed vndenam audiſti? Certusne

rumor?

Digitized by Google

rumor? — Certus. Anus lotrix, pro qua nuper cauſſam dixi, ea mihi narrauit omnia. Nec quare duxerit illam, video. Blaeſa eſt enim, et omnium, quae ſcire mulieris intereſt, ignara. — Interrupit hunc ſermonem tertius, qui vultu maligno: ſcitisne? ait, Didyx ille, iuuenis feroculus, virginem e plebe compreſſit. Quid patrem, ſi viueret, dicturum cenſetis? — Vir fuit hercle! optimus, licet cenſum, nimia luxuria, multum minuerit. — Papae! Quoties aliquem ſumtuoſis cupediis capi audio, riſu quatior. *Natura paucis contenta;* puerulus olim in ſchola didici. Offas lautas nec ego faſtidio; ſed, ſi magni

Digitized by Google

conſtarent, gulam mihi praeſtringi iuberem. Suillam ego fumo duratam vnice depereo. Hinc porcos quotannis tres mihi macto, ne deſit vnquam, quo delecter. Lucrum capio non ſpernendum; nunquam adeps mihi deſit. — Recte iudicas, auuncule, ſed piſces tamen praefero. Ah, quales mihi vxor hodie in prandium appoſuit! Vt probe maduerunt! Itaque paene ſolus iuſculum exſorbui. — Quid Tanippidi noſtro accidiſſe dicamus? Cur praeter ſolitum non adeſt? An aegrotat? — Hem! valet, vt qui maxime: ſed partus inſtat coniugi; ei aſſidet. — O factum bene! Quin nos ſaluti infantis libamus pocula!

Digitized by Google

cula! — et cum dicto ſcyphos cuncti ocius exhauriunt. — Hactenus tacite tantum homines miſerabar, mox ipſe ſermones moleſtiſſimos expertus ſum. Namque vt me peregrinum ex hoſpite compererant, certatim quaſi, aures quisque meas ſuo iure obtundere parabat. Sic quidam ex me quaeſiuit ſtudioſe, an fibulis ciues mei rotundis potius, quam ſublongis, vterentur, et quo veſtium colore potiſſimum elegantiores ſibi placerent. Paucis repulſo iſto, alius, cui ingenium erat ventre craſſius, rogo, inquit, anſeres veſtri pinguiores noſtris fiunt? Nunquam id equidem credere potui. Id me ſcire, ridens negaui. At

Digitized by Google

illi, vultu non obſcure contemtum ſummum prae ſe ferente, iterum

τοιαῦτα πρὸς ἀλλήλους ἀγόρευον,

ego vero, iampridem nauſeabundus, hoſpitium repetii, Deos, ne vnquam tali amentia me aut amicos punire velint, obteſtatus. Quis non, Eumolpe, ineptos hos ab omni eruditione ita exiſtimet abhorrere, vt, ne dicam particulas quasdam, ſed ne ſpeciem quidem eius aequo animo in ſe ferre queant? At vide, quanta litterarum vis ſit, quae nec barbaros tenuis cuiusdam ſui ſenſus expertes eſſe patitur. Stuporis ſe iugo teneri ſentiunt; ſciunt, nec ardorem mentis nobilem, nec induſtriam ingeniumque

Digitized by Google

niumque ad id excutiendum, ſuppetere; laude tamen doctrinae elegantioris carere non niſi pauciſſimi volunt. Hinc artes illae variae, tot praeſtigiae, verſute excogitatae, quibus plebeculae dexterrime ſane imponunt. Nec renuit numen Stuporis, vt quem minime fugiat, tanto ſe imperaturum ſuis potentius, quo maiori auſu ineptam eruditionis oſtentationem affectent. Quos ergo nominis celebritas ſollicitat, faſtum in vultu, ſermone, veſtitu mirum quantum prae ſe ferunt. Putant nimirum miſeri, eruditum, meritae laudis ſibi conſcium, non poſſe non ſupra profanum vulgus efferri, aliosque magno ſu-

percilio ſecure contemnere. In quo quae ſibi exempla propoſuerint ad imitandum, neſcio; illud ſcio, longa experientia conſtare, quo quis ſit eruditior, eo magis illum a ſuperbia et ridicula grauitate abeſſe, et phaleras inſanis magiſtellis, qui paſſim per Academias quasdam minutiores hac fraude vtuntur, vt auditorum manipulum ſibi concilient, lubenter relinquere. — Tali ſi forte in via ignotus occurras, nec ſumma reuerentia ſalutes hominem, ipſe vix nutu capitis beatus, vah! quam mox abſens vapulabis! Et recte, ſi quid iudico. Non tu cannam, gladioli argentei comitem indiuulſam, non veſtem

auro

Digitized by Google

auro diſtinctam, non coniugem, aureo horologio, palla ſerica, inſignem, reſpiceres? Non tibi arcana quaedam oris maieſtas, non cerdonis obuii humiles voces, ſcientiae ampliſſimae promum condum poterant oſtendere? Aude modo, et vel falſiſſima effutienti, modeſte contradic; iam iam te inconſultae temeritatis poenitebit. Quid, malum! dicet; naſutus ſibi vult? Cur mihi oggannit? Mihi, qui tot ciues dignitate vinco! Qui, ſi quando funus comitor, turbam tenuiorum poſt me relinquo maximam! Multum ei litteris inſudandum eſt, qui eruditione me aequare cupit. — Haec monita, qui ſapit, ſubmiſſo cauebit obſe-

quio. — Deinde et incredibili quadam audacia, de rebus maximi momenti iudicandi, et optima quaeque reprehendendi, non male perſonam doctiorum indui credunt. Hanc ſibi ipſi legem dixerunt, vt tanto impudentius garriant, quanto minus gnari ſint rei, de qua diſſerere conſtituerunt. Memini, me non ſine inſigni admiratione audire quendam de poëſi Hebraeorum ea confidentia, quae vel magiſtrum linguarum orientis dedeceret, declamantem, qui ne litterulam quidem huius linguae nouerat, idque praeſente viro, hebraice doctiſſimo. Quos ſermones, o quanta cum veneratione ſodales et amitae excipiunt! Vir

ſane

Digitized by Google

ſane patruus noſter eſt eruditiſſimus, domum reuerſi, narrant familiae. Quam diſerte verba fundit! Quam nunquam ad quaeſtiones varias haeſitabundus obmuteſcit! Enitere vero, fili, vt fauente Stuporis numine, talis aliquando euadas. — Haec laus fatuis noſtris maxima laetitia eſt, et calcar addit, in nobiliſſimo ſtadio vltro decurrentibus. Fit tamen interdum, vt medio in triumpho caſus ſiniſter interturbet gaudium. Librum vir quidam celebris ediderat elegantiſſimum, qui neſcio quo fato Moropolin deferebatur. Hunc Stuporis quidam myſta ſpectatiſſimus in porticu quadam, circumſtantibus aliis, perluſtrat,

miſere

Digitized by Google

miſere auctori inuidentibus, cuius amicum ſors turbae ſtolidae tunc adiunxerat. Cum diu fruſtra, quae carperet, quaeſiuiſſet, tandem; nunquam, inquit, equidem his minutiis animum aduerti; in oculos tamen modo incidit ridiculus viri error, laudantis ſcriptorem, qui nunquam fuit. Rogatus, quis iſte, pergit: *Seruius* hic eſt *Danielis*, quod nomen nunquam fando audiui. Et riſu proſequitur obſeruationem egregiam. Tunc amicus ille, non diutius ſibi tacendum ratus; toto coelo erras, ait: en librum, quem modo, puluere obſitum, inter ſcruta abiectum, duobus obolis emi. Simul exponit luculenter, vnde nomen

traxerit,

Digitized by Google

traxerit, vt puero quoque ignorantiae pudibundam confeſſionem extorſiſſet. At hic vultu nihil commotus; dixi iam, minutias ſcholaſticas nihil moror, et cum dicto, ſocium ſtipante caterua, thermopolium proximum petit. — Fieri autem poſſe credis, vt ſibi hanc doctrinae copiam inuicem inuidentes, acerrima ſaepius aemulatione inter ſe contendant? Vix credam. Equos generoſos de palma certantes, quis miretur? At idem ſi aſellos audere ignauos, ſi porcos curſu ſe prouocare videas, ecquis, rogo, tam ſeuerus, qui riſum teneat? Nil tamen hoc furore Moropolitanis frequentius.

Digitized by Google

Tantus amor laudum, tantae eſt victo-
ria curae.

Fabellam vnicam audi, ſed lepidiſſimam. Sacrificulus quidam pauperculus, cetera haud malus, librariis operam ſuam addixerat, et libros varios exteros in patrium ſermonem transferendo, quaeſtum facere inſtituebat. Hic quis noſtrum materiam inuidiae reperiſſet? Baiuli labor is eſt, mercede conducti; laude, vt plurimum, omni caret. Creſcebat quotannis vegrandis voluminum numerus; ſingulis nomen interpres ſuum praefixerat. Aegre id ferre collega viri ſenior, nec tamen ſtatim, quo pacto et ipſe inter ſuos inclareſceret, reperire. Ah! quo-

ties

Digitized by Google

ties ille noctes inſomnis huic curae impendit? Se quoque Magiſtri titulo inſignitum, cur ſolus aeuum transigere inglorius, nec famam ſcriptis extendere cogatur? — Tandem aeſtuanti callidum opportune ſuccurrit conſilium. Filium in Academia commorantem habebat. Huic ſchedas quasdam, quibus, neſcio quas nugas, olim illeuerat, transmittit; iubet, vt magiſtro iuuante, diſſertationem ex iis compilet. Paret monitis Iulus, prodit libellus in lucem. Quid vero laetiſſimus parens? Diſcurſare hic vndique per vicos, amicis, vt par eſt, filium praeclare doctum gratulantibus, ſubridens reſpondere: ſi verum fatendum,

Digitized by Google

dum, ex aliena penu depromtum eſt, quicquid emiſit, deinde inſtantibus rem totam ſimpliciter aperire. Sed non tam paucis plagulis ſcribendi cacoëthi Vir reuerendus opem ferre poterat, nec collegae interpretis digiti veloces eſſe deſinebant. Quare nouae ſchedae admiranti filio committuntur, rurſus paternae gloriae conſulit adoleſcentis pietas. Et iam tertium libellum breui proditurum audio. — Maximo interim odio ſcriptores noſtri cenſuras Criticorum proſequuntur. Quidni? Magna conſcientiae vis eſt, et publice irrideri morte ipſa putant acerbius. Libellis praefigi nomina ſua gaudent, optima

ſpe

Digitized by Google

ſpe arrecti, eruditorum diaria conquirunt, laudes omnium admirabundas certiſſime ſibi pollicentur. Sed eheu! — vix oculis fidem habent, — ludibrio ſe haberi intelligunt, ſomnia explodi acerbe, caſtigari errores pueriles, furta argui. —

Hinc exaudiri gemitus, iraeque leonum,
Vincla recuſantum, et ſera ſub nocte rudentum;
Setigerique ſues, atque in praeſepibus urſi
Saeuire, ac formae magnorum vlulare luporum.

Tunc Deorum atque hominum fidem furibundi implorant; litteras hodie ſin-

gulorum libidini exponi, mox, niſi mature occurratur Criticorum veſaniae, perituras. Vindictae ſe accingunt, perniciem auctori facinoris minantur, plorant, aeſtuant, bacchantur. Huic tamen dolori facilius ignoſcas, cum de nominis immortalitate actum planiſſime videant miſelli; de illorum arrogantia, aut potius ruſticitate ſtolida quid cenſes, qui a Criticis modeſtiſſime errorum conuicti, amicae reprehenſionis impatientes, quam primum data fuerit occaſio, ſubdole acerbum virus in eos euomunt, et inuitos etiam ad pugnam laceſſunt? — Equidem, cur cenſuras ſeueriores adeo aegre ferant noſtri, neſcio. Tantum

abeſt

Digitized by Google

abeſt, vt hoc quemquam Moropoli in contemtum adducat, aut ſpem adipiſcendorum munerum male auferat, vt potius fautores et publicum amorem certiſſime laeſo conciliet. Quidam, (ne me forte quidquam temere putes fingere,) cum foedae ignorantiae, tum peſſimae malignitatis homuncio, Nigello nomen fuit, libellos quosdam barbaros et futiles ediderat. Tulit mox impudentiae pretium: caſtigatus a clari nominis Critico, ſibilis bonorum omnium exponebatur. Huic paullo poſt ciues, caſum inſontis amici miſerati, munus docendae publice iuuentutis, communi ſuffragio, demandarunt. Quo enim alio argu-

mento clarius conſtare poterat, hunc eſſe, qui epheborum ingenia rite delere, teneras mentes feliciter liberalioris doctrinae odio imbuere valeret? — Vin' tibi artes recenſeam, quibus elegantiorum litterarum eximiam peritiam oſtentant? Poëtae qui haberi cupiunt, amicis praeſentibus ſubinde pugillaribus aliquid obiter inſcribunt, cauſſam rogati, quaſi pudibundi, nihil eſt, reponunt, modo verſiculos quosdam carmini, quod meditor, adieci. Digitos, taciti aſſidentes, ad numeros mouent, de rythmo veluti concinno inueniendo ſolliciti. Nonnulla denique ex quodam poëta, (malus ille, an egregius, nihil refert,)

refert,) mandant memoriae, vt, ſi quando ſermo de his rebus incidat, ſtatim ſubiiciant: Hem! illum dicis? hunc mihi ad imitandum propoſui maxime. Audi diuinam deſcriptionem! — Eloquentiae aut Antiquitatis ſtudium quos tenet, hi quasdam ineptas veterum ſcriptorum editiones, nitidas cultu, et rudimentis pueri cuiusdam barbari dicatas, anxie ſibi comparant; ſemper aliquot volumina, lectionis aſſiduae teſtes, menſam ornare iubent. Tum quaedam ex libellis triobolaribus hauſta, de luxu Romanorum, de conſecratione Caeſarum, de Tribunis plebis, centies colloquenti occinunt, nonnihil de Cicerônis eloquentia,

Digitized by Google

quentia, de optimo genere dicendi, de ſtilo cuiusdam viri eruditi nimis ſublimi, addentes. Quam vellem, exclamant, otium mihi vel tantillum a re publica gerenda ſuppeteret, vt tandem librum, quem iam inchoatum in ſcriniis ſeruo, perficere, atque in lucem emittere poſſem! Vrgit ſubinde bibliopola, ſed fruſtra. Quid enim faciam? Incredibili negotiorum multitudine fere obruor, vt iam fere de editione deſperare incipiam. — Videas quoque ſibi placentes plurimum, vbi frequentiſſime formulis: ὡς ἐν παρόδῳ, κατ᾽ ἐξοχὴν, σὺν Θεῷ, ἀγαθῇ τύχῃ, ſermonem diſtinguere poſſunt. Nulli aptius liticulas de accentibus dirimunt,

munt, nulli dexterius genuinum ſonum τȣ̃ η adſtantibus inſuſurrant. Hos ſi linguae graecae peritiſſimos negaueris, omnium profecto conſenſu iniurius es. Fortaſſe ſuperbiſſimam ignorantiam rides, maiori adhuc cum iure riſurus, qui tribus prioribus verſiculis Iliados non ſine difficultate memoria retentis, haud contemnendos in poëtarum graecorum lectione profectus multis approbauit. — Sunt et alia ſummae doctrinae ſigna, nulli, niſi Moropolitanis, indubia. Sic quidam ad ſextam vsque oſcitant; — cur? — rogas? libris procul dubio in multam noctem inuigilarunt. — Cibos

quosdam reſpuunt? cauent nimirum, ne ingenii acies, iam ſatis, eheu! continuis laboribus exercita, obtundatur. — Melancholia ſe infeſtari gemunt? hanc quis pertinaci nimis induſtria contractam dubitet? — Oculos vitro muniunt? iam legendo fatigarunt. Id vnum certe non mentiuntur: fabulas enim Mileſias nocturna et diurna manu verſant. Immo, tanta veneratione leuiſſima ſcripta proſequuntur, vt ex hiſtoria puellae, cui iuuenis raptae vitium obtulit, praeclare vniuerſam philoſophiam moralem addiſci poſſe, affirmare non erubeſcant. Hinc bibliopolae, ne fame pereant, ſolos

los

los huius farinae libros afferri curant, ceteros negligunt. Graecum librum iſtos, aut criticum ſi popoſceris, DI boni qualem riſum vel pueris ipſorum deberes! Aut vt furioſum te foras eiicient, aut ex gente quadam barbara oriundum, librorumque, quos deſideras, titulos perhorreſcent. —

Νήπιος εἶς, ὦ ξεῖν, ἢ τηλόθεν εἰλήλουθας,
Οὐ γὰρ Κύκλωπες Διὸς αἰγιόχου ἀλέγουσιν,
Οὐδὲ θεῶν μακάρων, ἐπειὴ πολὺ φέρτεροι
εἰμέν.

Quantas nunc moleſtias, Eumolpe, in talium hominum conſortio ſubierim, vel me tacente, pulcre intelligis. Non ami-

cus aderat, quicum ſermones iungere, animumque defeſſum reficere potuiſſem. Solus ipſe taedium, quod fuit ſane haud minimum, tolerare cogebar. Durum ſane, et vix ferendum, niſi me ipſe ſpe proxime ex luſtro diſcedendi vehementer recreaſſem. Iam iam exoptatiſſimum tempus iſtud appropinquat; iam me Tuum veterem fidumque amiculum ſincerrimo capiti reducet dies aureus. O qui complexus, qualia erunt noſtra gaudia! Quam iucundos ſermones noſtros praeuideo, prae quibus amplas Moropolitanorum fortunas ſecure ſpreuerim!

Sibi

Digitized by Google

Sibi ſua habeant regna reges, ſibi diui-
tias diuites,
Sibi honores, ſibi virtutes, ſibi pugnas,
ſibi praelia,
Dum mihi abſtineant inuidere, ſibi quis-
que habeat, quod ſuum eſt.

Plures tunc Tibi ciuium ineptias coram narrabo, quas partim, ne in librum excreſceret epiſtola, omiſi, partim chartae committere, vt grauioris momenti, nolui. Hanc ipſam, ſi qui fuerint, qui legant, forte vt malignam, carpent nonnulli; quos ego, recti conſcientia fretus, ne fruſtra tumultuentur, tranquillos ſedere iubeo. Hanc enim in dicendo libertatem meam, quam, ſi alia

quoque

Digitized by Google

quoque cuncta, natura mihi certe haud denegauit, dignitati potiſſimum litterarum noſtrarum pro virili vindicandae dicare conſtitui, pergamque porro intrepidus, vt hominem ingenuum decet.

Tu vale et faue.

III.

Digitized by Google

III.

EPISTOLA
ICTI MOROPOLITANI
AD
FILIVM IN ACADEMIA
COMMORANTEM.

IN LATINVM SERMONEM
TRANSLATA.

— ſtupet hic vitio, et fibris increuit opimum
Pingue; caret culpa, neſcit, quid perdat, et alto
Demerſus, ſumma rurſus non bullit in vnda.

PERSIVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

MI FILI.

Quanto me dolore affecerit liber, quem nuper edidiſti, criticus, quam grauiter animum perturbauerit, equidem verbis ſatis exprimere nequeo. Itane ſpes praeclariſſima, quam ſemper ego et patrui de te habebant, ſubito prorſus euanuit? Itane, qui optima quaeque de induſtria tua mihi ſpondebam, tam male tempus et numos te diſperdere intelligo? O me infelicem parentem! Modo conuiuium annuum ex more agebam, cui tum ICti noſtrae ciuitatis celeberrimi, tum alii veteres amici plurimi intererant. Laeti omnes con-

Digitized by Google

conuiuae accumbebamus, riſus inter iocosque lautis epulis fruebamur; cum ecce, litterae tuae nec opinanti mihi afferuntur. Mirari ego, quid eſſet, quod tam ſpiſſas ad me praeter morem mitteres, et ceteris volumen obſignatum oſtendere. Beatum Te, Calliſtratus exclamabat, quanta Te pietate colit filius egregius! Solidam procul dubio *Relationem* in *Collegio practico* elaborauit; hanc Tibi offert, vt gaudeas. Peream, niſi rem acu tetigi. — Gaudens interea ſigillum detraho, at proh DI Immortales! quis tunc omnium horror, cum ſacerrimas chartas adſpicerent! Quanta indignatio! Cuncti ſortem meam miſe-

rabantur,

rabantur, et certe diris te clare deuouiſſent, niſi mihi parcendum adhuc exiſtimaſſent. Nihil amplius iuuabant dapes opimae; ſemeſi piſces tollebantur, de perdicibus vix vnus et alter guſtauit, nec oſtrea ſaltem allubeſcebant iratis. Pernam autem, delicias noſtras, nullus omnino attigit. Atque, vt ne quid malis, credo, deeſſet, Dicomachus, dum vehementius de facti atrocitate diſputat, poculum imprudens plenum in veſtem ſplendidam effudit. Quid multa? Turbato conuiuio, omnes ſtomachabundi diſceſſerunt. — O fili ingrate, fili perfide! Siccine curis et amori in te meo reſpondes, vt Iurisprudentiae maſculae

 ſtudio

Digitized by Google

ſtudio inſuper habito, Criticorum numero te adiungas? Iam puer quidem, memini, ſigna huius dementiae non obſcura dediſti, cui maturius, fateor, occurrere debueram. Hem! ſic tum ego mecum, ſolet interdum fieri, vt adoleſcentuli libris, quos a magiſtris vnice commendari audiunt, impenſius delectentur. Melius id ſaltem, quam nucibus aut fritillo ludere. Veniet mox tempus, cum nugas iſtas reſpuet, cum meliora tractare aſſueſcet. Enim vero nihil inſanus ardor, procedente tempore, elanguit, immo, augeſcere quoque viſus eſt. Fruſtra te a conſuetudine graecorum librorum arcebam, fruſtra, ne

tales

Digitized by Google

tales tibi comparare poſſes, cauebam; non deerant quippe homines maleuoli, qui commodare tibi peſtifera volumina non erubeſcerent. Sic te trepidus Academiae committebam, multum prius adhortatus, vt tandem indigna tuis natalibus ſtudia relinquere, iuraque ſtrenue addiſcendo, in rem tuam ſapere velles. Iam te reſipuiſſe augurabar, quamuis, ne te pungere viderer, laetitiam diſſimularem, iam te *Candidatum Iuris* in fronte mearum epiſtolarum lubentiſſime appellabam. Nunc me nequiſſimus liber tuus plane occidit, quem neſcio qua fronte mihi, Viro tam *realiter* docto, offerre ſuſtinueris. Saltem

Digitized by Google

ſi libellum aliquem publice defendiſſes, aequius ferrem, et ridens adoleſcentiae tuae ſtultitiam condonarem. — Vnde vero, malum, librarium tibi conciliaſti, qui ſcriptum tuum excudendum ſuis ſumtibus curaret, cum viri etiam prouectae aetatis, noſtrae praeſertim gentis, hos homines incaſſum ſaepe ſollicitent? An etiam faſcinator euaſiſti, audaciſſime? Non igitur fuit de nihilo, quod *paſtor* noſter *primarius* Criticos omnes eſſe atheos, mihi affirmauit. — Sed reprimam me; temparabo mihi a conuiciis, quae bilis ſplendida dictare geſtit, quaeque optimo iure in te effundere poteram. Acerbius facinus vlciſci conſtitui.

tui. Contra bibliopolam quidem *Actionem de ſeruo corrupto vtilem*, *ex l.* 14. §. 1. *ff. h. t.* inſtituam; te autem neſis neſcius, prorſus exheredare decreui. Sanxit enim *Sacratiſſimus Princeps Iuſtinianus Nou.* 115. *cap.* 3. *vt ſi praeter voluntatem parentum inter arenarios vel mimos ſeſe filius ſociauerit*, eum exheredem in teſtamento facere ſummo iure liceat, quo nihil dici potuiſſet diuinius, nihil cauſſae meae accommodatius. Nonne apud nos Critici vel mimis viliores habentur? Nonne optimus quisque ceu homines nihili et infames acerrime inſectatur? — Hanc igitur legem praeclare *in ſubſidium* adhibebo, et, ſpero,

Praeiudicium in Wehnero aut Finckelthauſio meis inueniam. Tunc tu, Critice eximie, plora vt lubet, aut, ſi mauis, impugnare teſtamentum meum aude. Euolue libros tuos elegantiſſimos, conſule auctores claſſicos, ſi quid opis afferre trepidanti queant, et locum deſperatum, illo, quem vos tantopere iactare audio, ingenii acumine reſtitue. Nae ego faxo, vt omnium egenus, eſuriens, deſpectus, vitam, vt meruiſti, transigas, vtque te legum diſciplinam proterue repudiaſſe, ſero licet nimis, poeniteat!

Sed quid ago? — Iratum me video ſcripſiſſe, quae nunc ſcripta nollem.

Nempe

Digitized by Google

Nempe hodie *Reſponſa* de cauſſis atrocibus confeci; haec animum plus ſolito exacerbarunt. Cur enim natum vnicum abdicem, qui mihi nepotes, patriae tot *Actorum* volumina debet? — Ignoſce, fili dolori meo; blandius poſthac tecum colloquar; minas auferam, et quid apud te preces valeant, tentabo. Mite tibi ſemper fuit ingenium; flecti adhuc poteris, et meliora edoctus, ad ſanam mentem reuocari. Primum illud, quaeſo, conſidera, quantum familiae noſtrae dedecus afferres, ſi te, (quod praefiſcine dixerim) Criticis accenſeri contingeret. An neſcis, maiores tuos, quoad longiſſime ſpatium praeteriti tem-

poris poteſt reſpici, cunctos fuiſſe ICtos grauiſſimos, iuratos Grammaticorum hoſtes, et ab *allotriis* iſtis alieniſſimos? Horum tu quemquam graece doctum, aut antiquitatis gnarum fuiſſe autumas? Cogita, qualis vir fuerit abauus, quem vix aliter, quam per ſalutem Bartoli, Cuiacii perniciem iuraſſe conſtat. Qualis proauus, qui voces viginti quinque nouas *ſtilo curiae* feliciter primus intulit, ac Commentario perpetuo *Tractatum Tractatuum* horis ſubſeciuis illuſtrare coepit, opusque perfeciſſet immortale, ni ſtomachi cruditate obitu immaturo deceſſiſſet. Ne quid de auo commemorem, cuſtode legum tam rigido,

Digitized by Google

gido, vt cum forte neſcio cuius Brenckmanni nefarios auſus comperiſſet, febri ardenti correptus, exſpiraret. Hi tales quod cum maxima digitorum contentione, tot plagulis conſcriptis, tot citatis *Doctorum auctoritatibus*, corraſerunt, tu degener heres ignaua per otia male diſſipabis? Tu aedes inhabitabis, antiquas heroum forenſium ſedes, priſca quadam religione ſacras, certe *Regulas Iuris* ipſas redolentes, nec manes laeſos, voces nocturnas, dira ſomnia perhorreſces? Tu forulos, qui quondam *Caepollae*, *Couaruuiae*, *Gieſeberti*, *Rebhanii*, *Ioh. a Rebeteria* ſcriptis aeternis, propter frequentem vſum corio bubulo religatis, ſu-

 perbie-

perbiebant, *Briſſonii*, *Gothofredi*, *Schultingii*, *Bynkershoekii*, *Bachii* ſterilibus ſomniis, aut, quod peius adhuc, *Dionyſii Siculi*, *Diodori Halicarnaſſenſis*, *Vitruii*, et id genus poëtarum, oratorumque gerris onerabis? Quem porro quaeſtum apud nos iſtis artibus factum te ſperas? Scilicet numos in Criticum erogabunt ciues, cuius vel nomen ipſum diu eſt, ex quo multi penitus ignorant. Foenum eſſe oporteret huius farinae hominem, aut quaſi cochleae ſuo ſibi ſucco victitare, qui ſedem hic loci figeret. Fames, mendicitas, iniuriae, haec arma ſunt, quibus puerilium litterarum cultores a finibus arcemus,

hac

Digitized by Google

hac freti virtute, macilentam turbam ſaturi contemnimus. Meminiſti puto, niſi doctrinae ſiniſtrae domus paternae recordationem abſtulerunt, quae munera mihi clientes quotidie afferant. Gallinas vnus portat altiles, hic me cerui praepingui femore placat, alius amphora cereuiſiae optimae cauſſam ſuam mihi commendat; ille ſe miſerrimum retur, minimum qui miſit mihi. Sic *bona Conſilia*, ſic *Cautelae*, ſic *par Linearum* penum mihi affatim inſtruunt. Critico quis vel pulicem donauerit? niſi forte ritus obſoleti explicationem, aut ſcriptoris antiqui ſenſum petere velit, quos tamen periſſe potius, quam legiſſe, noſtratium

ſtratium nemo non cupit. His litteris *canem ex fornace* nunquam *elicies.*

Forte tamen nec patriae operam tuam deſtinaſti, atque vitae Academicae ſuauitate delinitus, magiſtri aliquando munus ambire cogitas. Vah! iſtud quidem peius adhuc flagitium iudico. Indignus eſſes, cui res tam lauta obtingeret, ſi tu adoleſcentibus cinctus, e cathedra, ſimilis agyrtae declamare velles. Quod ſi te rauis delectat, illam honeſtius in foro, cauſas agendo, contrahere poteris. Quantulum his doctoribus *Fixum*? Quam tenuia *Accidentia*, et rara? Apage cum hac dementia! Vix ea in diuitem Moropolitanum cadere poteſt. Semper nos ICti

pragma-

pragmatici ſimultatem cum iſtis viris exercemus, vt fere *leuis notae macula* videantur laborare. Adde, quod noſtrae familiae nullus omnino genus hoc vitae ſecutus eſt, quin potius Academias ita odio habuerunt, vt niſi *Iuris Vtriusque Doctores* debuiſſent fieri, nunquam ibi triennium commorati eſſent. Plures ſi haberem filios, non nimis repugnarem, quin vnus et alter obtuſioris ingenii in hoc piſtrinum ſe conderet. Quidni? Mercaturae interdum, picturae, aliis artibus ſordidis eiusmodi pueri ſine rubore deſtinantur. Te autem, cum ſis mihi vnicus, nunquam litteras in Academia profiteri ſinam. Sedem in lo-

cis

Digitized by Google

cis peregrinis fixurus, domum auitam, agros, praedia, qui aliter, quam maximo cum diſpendio venderes? *Gabellam* vt taceam, onus acerbiſſimum, de qua exſtat *Ant. Aſſelmanni* diſſertatio *Roſt.* 1622. quod obiter notare potes. At ſcio ego, quid animum tuum ſollicitet. Scriptis nimirum inclareſcere cupis, et nominis, quam vocant, celebritatem tibi comparare. Memini hercle, te quosdam verſiculos decantare, de: *tollere humo*, perquam ridiculos. Vin dicam, quid ſentiam? Quoties de his nugis cogito, riſu paene diſrumpor. Quid eſt, obſecro illud, quod tantopere praedicatis, ingenii decus et gloria? Tur-

dum

Digitized by Google

dum ego macrum, aut *diſputationem defectam* malim, quam vir cluere longe celeberrimus. Nemo idcirco mihi cadum vini, pallam vxori offeret. Dummodo in ciuitate noſtra primoribus viris accenſear, dummodo caupones, tonſores, ancillae Virum me *Excellentiſſimum* atque *Alte Doctum* ſalutent, nemo in via capite me operto praetereat, nemo dextrum latus claudere audeat, quid ad me, ſi me omnes, qui vbique ſunt exteri, natum ignorent, ſi ludimagiſter nullus in ſcriptis ſuis honoris cauſa reverenter nominet? Alia ſunt, ex quibus litteras aeſtimare didici. Putasne me forte Iuriſprudentiae dignitate

captum,

Digitized by Google

captum, huic diſciplinae prae aliis operam meam addixiſſe? Minime. Lucri opimi ſpes certa vnice me ICtum reddidit, atque adeo ſi cerdo aut lanio eadem commoda ſortiri, eadem apud ciues exiſtimatione potuiſſem florere, non erat, cur me aut ſordes horum opificiorum abſterruiſſent, aut litterarum praeſtantia inuitaſſet blandius. Sic ego ſentio, ſic omnes *honoratiſſimos collegas* meos ſentire dudum comperi. Verum ne nihil tuae opinioni largiri videar, fuerit ſane, vt indefeſſa induſtria patronos tibi et amicos paſſim conciliet. Quid inde? Non fies tamen *Iuris Vtriusque Doctor*, et *Perilluſtris Reipublicae no-*

ſtrae

Digitized by Google

ſtrae Conſiliarius. Fuerit, vt libri, quos ſcripturus es, aliqua elegantia harum minutiarum arbitris ſe commendent, vt laudem ingenii non infelicis feras. Quid inde? Non fies tamen *I. V. D. et Perill Reipubl. noſtrae Conſiliarius.* Quin etiam munus obtinere poteris, atque vitam, non plane honorum expertem, agere. Quid inde? Non fies tamen *I. V. D. et Perill. Reipubl. noſtrae Conſiliarius.* Viden' vt hic *Rationes dubitandi* a *Rationibus decidendi* nullo negotio ſuperentur? An quisquam ita ſit coecus, itaque arrogans, qui hac dignitate cogitari quidquam auguſtius, venerabiliusque poſſe putet? Quid tandem eximii habent, quos principes ſuis conferre ſolent, honores? Nonne, ſi cum titulo

Conſiliarii Perill. Reipubl. noſtrae confe-rantur, vileſcent ſtatim, et vix vltra ple-beiam ſortem extollere virum honeſtum videntur? Chaeream tibi in memoriam reuoces, ciuem olim noſtrum, ſed de-generem et ingratum. Hic cum in pa-tria, *aduocando* per decennium *habili-tare* ſe, et ad munus tam ſplendidum *cum Deo et die* adſpirare debuiſſet, in-conſultum quendam animi ſecutus im-petum, regis exteri amicis adſcribi ma-luit, ſpemque ipſe praeclaram proterue nimis repudiauit. Quare hodienum ex merito virum voculis contumelioſis, quod ſolum datum eſt, rodimus, nec aliter, ac *parochus orthodoxus*, *Iulianum Apoſtatam*, deteſtamur. — Librum ſcri-berem, non epiſtolam, ſi omnem ordi-

nis

Digitized by Google

nis noſtri maieſtatem, ſi felicitatem tibi recenſerem. Nos gubernacula imperii ſoli propemodum tenemus; nos piſces ex piſcina publica ſemper grandiores accipimus, nobis ligna praebentur largius, nobis denique cura legum tuendarum vnice demandata eſt. Quam magnifico autem cultu et paene dixerim, regali in publicum procedimus? Quae capillamenta vertices noſtros conſultiſſimos muniunt? In quouis cincinno *Caſum in terminis* nidum feciſſe iures. Nos lites cum vicinis de finibus regni dubiis, cum multum ad gloriam populi, potentiamque demonſtrandam faciant, ſumma cum dexteritate ſemper inexhauſtas fouemus, atque id operam damus ſedulo, ne chartae nimis vili pretio veneant. —

Digitized by Google

Noli tamen arbitrari; ita nos animum laboribus intendere, vt omnis laetitiae expertes, vires infringamus lucubrationibus. Plebi quidem ſtultae illud perſuademus, quo magis nos admiretur; re ipſa nemo cuticulum curat lubentius. Noſtin collegas meos? Hem, vt nitidis genis et rubicundis incedunt! Vt turgent ſurae! Vt ventre proiecto ſuperbiunt! Vix quidam prae nimia mole abdominis vno ſpiritu commode poculum educunt. Haec certe pinguedo non apud pluteum contrahitur. Tempus ſolummodo matutinum ſcribendis *Actis* deſtinamus; poſt prandium articuli praeter ſcyphos aut talos nil admodum norunt attingere. Et dubitare adhuc vel momentum poteris, an huic col-

legio

Digitized by Google

legio velis aliquando adſcribi, quod ſolum te beatum, et bonis omnimodis affluentem reddere poteſt? Nec viuus tantum apud nos honoratus habeberis, verum, quod praeterire nefas, cum tantopere fama perenni capiaris, poſt fata etiam ſuperſtes eris quam diutiſſime. Vidua enim et liberi, ne tanto coniuge, tanto parente indigni videantur, ingens tibi ſepulcrum exſtruent, aureis litteris titulos monimento inſcribent, et, quamuis nec vnicam plagulam formis exſcribi curaueris, eiusmodi carmen ſuperaddent:

*Conditur hac parua praeclarus * * vrna,*
Qui patriae decus, et Iuris ocellus erat.

Cuius et exſtincti Muſae venerabile nomen
Non reticent, laudes Curia, Pindus, amat. —

O patrem me vere beatiſſimum, ſi te in gradu dignitatis tam illuſtri conſtitutum olim conſpiciam, ſi te collegam meum videre dabitur? Quid mihi pro pietate mea DI amplius poterunt concedere? O ſenium meum dulce fortunatumque! — Vt valent nepotes mei, *fili Conſiliarie?* Quam mox comeſſatum imus ad ſocerum, *fili Conſiliarie?* — At enim quid facio? Iam te mihi talem fingebam, qualem, ſi mihi morem geſſeris, certiſſime viſurus ſum. Noli autem mirari, cur tam mature de munere tibi proſpiciendo cogitem. Callinus, affinis noſter,

noſter, ex Academia nuper admodum *I. V. D.* reuerſus eſt. Hic me paucis poſt aduentum ſuum diebus ſalutauit. Di boni, *Virum Iuuenem* egregium, cunctis virtutibus cumulatiſſimum! Vt comtulus adſtitit! Vt motus, geſtus, tuſſis, riſus tenellus, vultus recenti quadam grauitate conſpicuus, mire omnia decuerunt! Vt verus inceſſu *Doctor* patuit! Quibus faſciolis ſericis crura texerat! Quam laetum fulgorem fibulae lapillis ſplendidis diſtinctae ſpargebant! Veſtem profecto nec ſponſus ego pretioſiorem geſtaui. Quater me ſternutare coëgit attonitum, ita largiter coma nardi odoribus delibuta erat. Quid autem de eruditione referam? Vix primos cum illo ſermones miſcui, et iam *Ludouici*

 Doctri-

Digitized by Google

Doctrinam Pandectarum ſcitiſſime ad partes vocabat. Septem inſuper *Quaeſtiones practicabiles*, *Titulumque de ventre inſpiciendo* integrum mihi recitauit. Forte mater tua affuit. Cum abiiſſet, ſtatim illa obortis lacrimis: Ecquando filium noſtrum talem videbo? Cur mater ipſius ſola de *Doctore* filio glorietur, cum ego haud peioribus parentibus prognata ſim? Me miſeram! Biennium iam abeſt; nec tu adhuc de reuocando eo cogitas. An nimia doctrina miſellam enecari poſtulas? Crede mihi, niſi hoc anno corculum meum reuocaueris, vitam luctu finiam. — Aequum rogare cenſui matronam, tui amantiſſimam; annui, et me obſecuturum promiſi. Quare ſerio tibi praecipio, vt *Collegia*, quae tibi re-

ſtant

ſtant *audienda*, *duplices*, et per horas octo, decemue magiſtris aſſideas. Ne quidquam velis addiſcere, hac praeſertim temporis anguſtia, quod non *Vſum immediatum in foro* habeat, cum ſaepius fecerim, non hic amplius te monebo. *Gradum* autem, finitis his ſcholis, non niſi in Academia **ina te *aſſumere* volo. Nam et ego et auus beatus tuus ibi *promouimus*, et nusquam minoris *priuilegia doctoralia* proſtant. Multis praeterea caerimoniis antiquiſſimis illic inaugurabere, quarum in Academia nouitia, vbi nunc degis, nec veſtigium occurrere narrant. His te carere non patiar, ne forte amici mei vitio te creatum Doctorem, *bullati* ſimilem, ſuſpicentur. Quid, quod auia *piae memoriae* tibi annulum aureum legauit,

gauit, quicum *Spectatiſſimus Dominus Decanus* poſt oſculum, pileum, librum apertum et clauſum, Iurisprudentiam rite tibi deſpondeat, cuius adeo ſupremae voluntati ſine inſigni ſcelere refragari non potes. Libellum ipſe vt conſcribas, non placet. Nec ego, nec auus tuus beatus, (quid enim negem?) noſtros conſarcinauimus, et velle te ſapientiorem nobis videri, nefas eſt. Commode hunc ab aliquo profeſſore famelico emere poteris, qui lubentiſſime tibi *Specimen* quoddam, mediocri pretio, ſuggeret. Ego quatuor plagulas duobus aureis redemi, quia callidus adibam magiſtrum pauperrimum, cui tunc forte vxor gemellos pepererat. Hunc autem, quo celerius fias *Perill. Reipubl. noſtrae*

Conſilia-

Conſiliarius, formis exſcribi curabis quam nitidiſſime, religarique charta aurata, ac diuinis additis elogiis, primoribus ciuitatis dedicabis *tantorum nominum humillimus, et ad cineres, atque ſupremum vsque vitae halitum deuotiſſimus cliens, Auctor Reſpondens*, mox etiam redux factus, vicatim diſcurrens, cuilibet reuerenter offeres. Sed de his plura coram. Tu modo, quam primum fieri poterit, *Summos in Vtroque Iure Honores* ſtrenue capeſſere memento.

Requies ea certa laborum,

dixit Horatius in oda ſua, ne me in his *parergis* hoſpitem credas. — Quid autem diutius diſſimulem? Cur vim ipſe laetitiae meae afferam? Iam cauſſam maturi reditus veram accipe, quam adhuc fruſtra celare ſtudebam. Tibi ergo Deos

benignos

Digitized by Google

benignos eſſe cunctos, te Fauſtitatem ipſam reſpicere, te Opportunitatem, — tu vt ſis fortunatiſſimus, in id conſpirare omnia, — quid plura? nuptias tibi, modo velis, paratas eſſe ſcito auſpicatiſſimas. Teleſillam, Cleobuli praediuitis natam vnicam nos et amici communes tibi ſponſam deſtinauimus, nec pater ipſe renuit, quum ſuper negotio *praeliminariter* conuenirem. In dotem afſert talenta magna quindecim, hoc ſi lucrum, *in caſu noluntatis*, omitteres, inſanire te crediderim. Multos illa procos recuſauit; niſi enim *I. V. D.*, nupturam ſe cuiquam negat. O fili, virginem formoſiſſimam, ita blandam, ita venuſtam, vt ſi vel ſemel adſpexeris, ſemel impreſſeris ſuauiolum, ſat ſcio, quidquid reſtat, quod olim erga puellas concepiſti,

Digitized by Google

cepiſti, odii, ſtatim euaneſcet. Sed vix quidquam huius dementiae, quod aboleri debeat, reſtare crediderim. Multos adoleſcentulos, triſtes domi Catones, mox, vbi Academias attigerunt, magnos amatores factos noui. Quidam etiam moleſtias *Collegii proceſſualis elaboratorii* ideo potiſſimum animo aequo tuliſſe fatentur, quod illud quaſi atrium, per quod ad ſponſam eſſet tranſeundum, conſiderarent. Coelibem autem lepos ille, puellarum noſtratium proprius, atque ingenii ſingularis venuſtas, iuuenem, ni plane lapideus ſit, nullum agere patitur, maxime, ſi *cum Gradu* redierit, qualem blanditiis innumeris ſibi deuincire certatim vaferrime annituntur. Tu, ſi ſapis, victas manus Teleſillae vni dabis, quae te feroculum mox manſue-

tum

Digitized by Google

tum et placidum reddet, baſiisque melleis ineptum Critices ſtudium tibi prorſus auferet. Tunc aliis membranis inſudare, aliis locis diſces ſuccurrere. Ha, ha, ha, hae! — Ignoſce, fili, quod tecum liberius parens iocor. Iampridem ex ephebis exceſſiſti. — Nos interim vaſa argentea nuptiis tuis laetiſſimi praeparabimus.

Longius me in ſcribendo prouectum video, quam quidem ab initio ſtatueram. Quin, quae mea eſt erga te pietas, tabernam quoque vinariam prae nimio ſcribendi ſtudio petere hac veſpera neglexi, plura etiamnum additurus, ni tempus coenae inſtare intelligerem. Quare te hoc extremum, per ſi quid carum tibi, ſanctumue eſt, per ſalutem tuam et meam obteſtor, vt quae te in prae-

praeſenti monui, eorum cum ſumma religione nihil non obſerues. In patriam, more maiorum, redi, vitam a ſterili Muſarum conſuetudine remotam, aſſueſce amplecti, nunciumque litteris, *vulgo:* elegantioribus, remitte. Quod ſi etiam grauiter ab initio, impatienterque iſtud diuortium tuleris, crede mihi, mox maritus, mox pater factus, vegrandi nunc *Actorum* mole, nunc cantharis cinctus, et affinibus, omnem priſtini erroris memoriam feliciter prorſus amittes. Tunc tu, libris deſtitutus, quos ſcripta, mihi patriaeque tuae tam odioſa, compoſiturus, poſſes conſulere, (commode enim ſolum verterunt homines, a quibus puer hos petere ſolebas) nullius laudibus, vt morem ſemel inſtitutum teneas, excitatus, paternum ſapies, et quaſi ex

alto

alto delatus in portum, miſeros eruditorum, quos vexat ambitio, tumultus, ſpectator otioſus ridebis. Tunc diuitiis, maiorum virtute partis, indies augendis, inuigilabis, carne ſatur per hyemem agnina, vitulina per aeſtatem, ſomnum capies, atque olim, meritis, annisque grauis, pinguiſſimus pariter, Excellentiſſimusque morieris. Bene vale!

Moropoli,
d. 1. April. 1767.

P. S.

Vt videas, quantum matri tuae cordi ſis, ecce, in ciſtella quaedam tibi bellaria mittit. Dulciora tuis re-potiis reſeruare ſe dicit. DI modo faciant, vt cito iſta conficere neceſſe ſit!

Tui
amantiſſimus pater.

Anſelmus a Turre cannabina, Iuris Vtriusque Doctor, et Perilluſtris Reipublicae Noſtrae Conſiliarius, nec non plurimarum Societatum cum Latinarum, tum Teutonicarum Membrum Honorarium.

VRSVLAE GANSIAE

EPISTOLA ARCANA

AD

IOANNEM FRIDERICVM HERELIVM

NORIMBERGENSEM

NON IGNOBILEM SATIRICVM.

SVPERIORVM LICENTIA.

OCHSENFVRTI

PROST. IN NOVA LIBRARIA TABERNA

CIↃ IↃ CCLXIIX.

Digitized by Google

TACIT.

I. *hiſtor.* I, 6.

Rara temporum felicitas, ubi ſentire quae velis, & quae ſentias, dicere licet.

Digitized by Google

VRSVLA GANSIA
IOANNI FRIDERICO HERELIO
SVO S. D.

Si uales, bene eſt: ego ualeo. Nudius ſextus cum auia mea materna, me Vltraiectum ad Pegneſum portaui: & uix dextrum pedem ſub diuerſioli limen poſtquam poſui, ex improuiſo iurium licentiatus RICHTERVS, *quem uicinum quondam iuxta diſcalcea-*

Digitized by Google

torum templum habui, aduolauit, meam auiaeque manum deuote exoſculans, blandis uerbis nobiſcum eſt confabulatus; uerum cum auiae taedio, quae feſſa erat, nam ex graui morbo conualuerat. Accubuimus tandem cum facundo RICHTERO, *&, ut de uariis delicatis cibis nil dicam, generoſo rhenano uino incaluimus.* RICHTERVM *auia dextra comprehendens, aliud in conclaue ſeduxit. Breui laeti apparent,*

Digitized by Google

hoſpitis famulum aduocant, *atque in mandatis dant*, *accerſat* CREVZBVRGIVM, *ludi cuiusdam extra ordinem doctorem ac notarium iureiurando obſtrictum*, *duoque teſtes*, HEYNIVM & DANHORNIVM, *illum fabrum lignarium*, *hunc textorem*, *quibus adhuc quinque addiderunt*, GEORGIVM *nempe* EBERLINVM, *ueſpilionem*; VIGITILIVM *cantorem*; ZVVINGERVM, *inſtitorem*, *piſtorem* GRV-

Digitized by Google

BERVM; DEVERLINVM, *ſutorem.* *His praeſentibus, auiae nomine* RICHTERVS *ſignificauit, ſe ultimae uoluntatis tabulas uelle conficere. Sellam occupat alteram* CREVZBVRGIVS, *&* *a* RICHTERO *dictata, calamo excepit: quae poſtea charta puriore ac elegantioribus litteris exhibuit. Suis manibus ſeptem fide digniſſimi teſtes, nomina ſubſcripſerunt, annuliſque ſignatoriis corroborarunt. Aurea omnibus*

Digitized by Google

auia dedit dona, atque eos cum gratiarum actione dimiſit. Reuertendi iam tempus inſtabat, ac domo abeſſe diutius auia noluit: quapropter in uiam dedimus, & quum primum claudendae portae ſignum rauco cornu ſono daretur, ad publicani nouae portae oſtium ſtabamus.

Quid haec ad te, optime IOANNES FRIDERICE? *Non immemor tui fuit auia: nam legauit tibi ruſti-*

Digitized by Google

cum praedium Kaesbrühenſe, cum omnibus ruſticis inſtrumentis, ſiluam quercubus annoſis conſtantem, quae innumerabiles ſubus ſaginandis, uti tute ſcis, glandes quotannis procreant, porro ſeptem piſcinas, uariorum piſcium generum perdiuites; deinde prata uirentia, non ſteriles agros, hortum amoeniſſimum, cum aucupis aedicula, moloſſum ad uillici ianuam cuprea catena alligatum, cum tabula lignea, cui inſcripta ſunt

uerba: CAVE CAVE CANEM. *De aluearibus, columbis, gallinis, anſeribus, anatibus, uaccis, bubus, equis, aſinabus, ouibus, haedis, capellis, ſuibus, cet. nihil dico: quia pauperis eſt, numerare pecus. Non te fugit, oculis plus centum praedite* HERELI, *auiam meam a duodequadrageſimo aetatis anno, non barbatulam, ſed barbatam eſſe; cauſſam te docebit* IACOBI BVRLINI,

Digitized by Google

Norimbergenſis, diſput. de feminis barbatis ex ſuppreſſione menſium. *Altorſii*, cIↄ Iↄ CLXIV, 4. *Quos barbae crines, quinque uaſis argenteis auro igne obductis, dies noctéſque ſolicite cuſtodit; ut* VESTALES *ignem ſacrum. Magna inde ueneratione, hunc theſaurum per omnem uitam coles, quem poſt perfrigidum auiae mortis ſudorem, in manus tuas auidas perueniat, omni cura curabo. Omnia hae litterae non capiunt; plura in aurem coram.*

Digitized by Google

Paullo ante altiſſimum ſuperioris noctis ſilentium, cum duabus meis fidis ancillis, LESBIA, *quae trecentis menſibus in* VENERIS *caſtris ſtrenue pugnauerat, & aegre miſſionem obtinuerat, muſicam nunc nobiles docet uiduas,* & CORINNA, *quae in interiore parte aedium, quae* γυναικωνῖτις*) *appellatur, ſedet, atque a* CVPIDI-

*) Vid. cl. LVDOVICI GVILIELMI IVNII diſq. de *gynaeceтis Graecorum.* Lipſiae, cIↃIↃCCXXXV, 4.

Digitized by Google

NIS *ſtimulis non amplius agitatur*, *dormitorium intraui*, & *hymnum in laudem* VENERIS & CVPIDINIS *cantare coepi*: APOLLO *cum nouem* MVSIS *ſtatim adfuit*, *quem* Lippertiana dactyliotheca *me noſcere docuit*; *qui poſt unius horae commorationem certiorem me fecit*, *in uniuerſa Germania tres tantum ſapientes eſſe*: HARLESIVM, HERELIVM, KLOTZIVM. *Hoc tibi*, *qui multa tacere uales*, *ſcri-*

Digitized by Google

bo, APOLLINIS *effatum ueriſſimum: namque tot uix ſunt tibi amici, quot oſtia Nili.*

In ſempiternam uenerandae auide memoriam, AEOLIPIILA *) *numum*

---

*) A RIVIO dampf-gefäß & feuer-blaſer, appellatur. AEOLVS enim uentorum deus, aut ſaltem quaeſtor ac moderator priſcis credebatur, *qui*

uaſto antro
luctantes uentos tempeſtateſque ſonoras
imperio premat, ac uinclis & carcere frenet:
qui foedere certo
& premere, & laxas ſciret dare iuſſus habenas.

VIRG. I. *Aen.*

Digitized by Google

inuenit. *Altera in parte ſunt auiae ora ſiniſtrae faciei, hiſce uerbis*: SIBYLLA MVLLERA AET. LXXXIV. *In altera ſcaturiens fons, cum lemmate*: ALIIS NON SIBI; *ad ora*: A. G. R. CIↄIↄCCLXIIX. *En, egregia prorſus inuentio! quis* AEOLIPILAE *in uitiis par? ſe Iouem eſſe firmiter eſt perſuaſus. Valeat* AEOLIPILA *apud orcum*, NARCISSO PVLCHRIOR.

Separato faſciculo, meum fel, ſcribere uolebam, mel: tu etenim es ualde curioſus, caue, ne fias furioſus, ſequentia accipies ſcripta: noui opidanae ſcholae moderatoris primitias Lauffenſes; *A. M. I. diſſertationem, de* demonſtrationibus in philoſophia de moribus; GASPAR. ARMLANDII doctorum germanorum cantorum centuriam; BALTAS. SMIDII luſoriarum chartarum initia, ex antiquitate

Digitized by Google

cana deducta; MART. RVBII odarum proſaicarum praeſtantiam & uſum; *hiſtoriam* de uita, fatis ac morte MELCHIOR. GEISLEDERI, e MSC; ALEX. RIMVRI *diſq. epiſt. de* eo, quod iuſtum eſt circa thoracem; AM. ELENDI *tractat. de* conchamania, *cum maiore fratris natu praefatione* ANONYMI *ſciagraphiam* theologiae culinariae; *reliqua.*

Arrige

Digitized by Google

Arrige aures, HERELI, *hodie circa meridiem, uenit ad me auris rimoſa*, AEOLIPILA, *cui eſt hirſuta pannoſaque tunica, capitis impexus pilus, tranſforatus pileus, torua facies, oculi diſtorti, ſordes in auribus, nares mucoſae, in labro pallor & labio, liuidi rarique dentes, foedus oris halitus, barba prolixa, quam ſemel in anno inglandium putaminibus, nouacula deſtitutus, amburit, e lupuli ſacco induſium, toſta quere uum folia*

Digitized by Google

cubile, in dextra nodoſa claua, tibialia ac ſoleae e canum corio, ſiniſtra manus muccinium, multis ſordibus ungues. Fame ſine dubio coactus, quotidie enim pane e furfure cocto, quem in ſuillum lac intingit, ueſcitur; in deliciis inſuper ei ſunt balecum ſquamae, quas a ſalſamentariis emendicat, & feſtis diebus potus, eſt poſca: inclinato aliquoties uſque ad pedes, capite, qui uix ac ne uix quidem, ullum prae lacrymis uerbum proferre potuit; miſerri-

Digitized by Google

mum denique ſe hominem eſſe dixit, & ribus d iebus ne micam quidem guſtaſſe, diris multis affirmauit. Miſericordia ſum ttacta, pedicellis perdiuitem AEOLIPILAM, *qui & ampullas, & ſeſquipedalia proiicere ſolet uerba, in popinam cum nummis, quos larga dedi manu, ablegaui. Qui thraſo gloriatur, ſe poſſidere* FAVSTVLI *pedum ac peram, eiuſque tori ſociae* LAVRENTIAE *pectinem ac marmoream matellam;* CHARONTIS *anco-*

Digitized by Google

ram cum clauo; VENERIS *umbilicum dextraeque mammae uerrucam*; *pilum, quo* WALLENSTEINIVS *trucidatus*; ZISKAE *petaſum*, *conſpicilli partem, capiſtrum*, *dentem molarem*; BALHORNII *ferulam*; *maiorum ſuorum a decimo tertio ſaeculo lanugines, ſeptem pyxidibus eburneis, rarum, euge, charumque antiquitatis monumentum*! *& ſexcenta alia.*

Diſquiſitionem tuam phyſicam, de praeſtantia ſexus feminini, *cum analectis*

Digitized by Google

de doctis ancillarum amatoribus, *quae opus quinque annorum*, Altenburgi *ſub typothetae non rudis manu eſſe, gaudeo cum illis, qui tibi fauent paucis, mirum in modum. Dent omnes dii deaeque, furiis non exceptis & lemuribus, ut in poſterum, quae non tantum aliquos delectent; uerum omnibus litteratis ſint utilia, neceſſaria, grataque ſcripta, cum publico communices: ſi ad immortalitatem uis affectare; ſin uero in ſolenni pertinacia per-*

Digitized by Google

rexeris, futurum eſt, ut omnium in te odium concitetur.

Criticam, acutiſſime HERELI, *falcem, in* EVLENSPIEGELIVM, *horis tantum a ſatiris uacuis, immittas, te, liberorum grex murariorum uehementer rogat, donaque non parua ſancte promittit. Laurus adipiſceris honoreſque aeternos, hocce unico labore, ac poſt genitis eris clarus, charus.*

Digitized by Google

Nunc demum ſentio, me non librum, ſed epiſtolam, ad dulciſſimum amicum ſcribere: quare calamum depono, & te ad tuum, meumque candidum uotum ualere iubeo.

LED. & MVR. *commilitones amicique in utraque fortuna immobiles, te ſalutant, ac te me ipſa centies chariorem eſſe credas. Iterum, mi* HERELI, *uale, & me, ſi qua tibi noſtri amoris eſt memoria, ardentiſſime amare pergas, oro & obſecro.*

Digitized by Google

Scribebam ipſis Bacchanalibus, an.

cIↄ Iↄ CCLXIIX.

INSCRIPTIO:

Iuueni

Docto ac laborioſo,

IOAN. FRIDER. HERELIO

Iurium & Medicinae Cultori,

Gottingam.

Digitized by Google

Index.

Numeri maiores indicant praefationem.

\+ \+ \+

Academiarum honores varii. V.
Advocatorum detestatio. VIII.
Amici conjunctissimi auctoris. XI.
Archaismi latini XV. (133.
Bibliopola propriis sumtibus libellum excudens accusatur.)
Burgeri Diac. Sebald. filius dissertationum compilat. III.
Castitas sacrificulorum caelibum. 21.
Caussidici munus illiberale. VIII.
Codices uetusti, cur venusti? 23.
Comoda, quae ex stuporis cultu oriuntur. 76.
Confessio effrenatae audaciae. II.
Consiliariorum respubl. dignitas augusta 145. auctoritas. 147. comoda, actiones, ib. otia. 148.
Critici assiduitas mira. 34. ecstasis. 36. familiae dedecus inferunt. 135.
Criticorum vera conditio. III.
methodus. 9.
aduersarii. 10.
habitus. 11.
Turba monstrorum mater. 41.
ineptiae. 42.
nouitiorum encomia. 45.
Discursus bellici. 96. Oeconomici. 100. (44.
Dissertationes antiquariae philologicae nullius pretii.
Divitiae & honores sordent auctori. X.
Doctor iuris recens aduena comtus ac eruditus. 151.
Doctrinae solidioris despectus, ubi? 70.
Drama Landeshut. in. Bavar. 4.
Exheredationis causa sontica, 133.
Exhortatio ad reditum in patriam. 159.
Invectiva in filium. 134.
Ironia in patrem. 131.
Itinera improbantur. 81.

Digitized by Google

(Itinera multum iucundi pariunt patriciis iuventus.)
Iureconsulti, potatores & aleatores. 37.
quo statu fruantur 86. seqq.
irati Grammaticorum hostes. 136.
quibusnam gaudeant emolumentis. 137.
Iuvenum educatio ad legem stuporis. 137.
Librarii moderni quomodo libros ad astra extorquere soleant. 27.
et magnifaciant. 32.
Librariorum modernorum modestia & imperitia. 17.
virtus & opera. 26.
Librariorum veterum errores. 7. 11.
utilitas. 12.
Litterae absque lucro sunt addiscendae. IV.
Litterarum cultores quomodo à finibus Moropolitanorum arceantur. 13.
Ludi solennes in librariorum veterum honorem instituendi, & qua ratione. 48.
Magistri s. Professoris munus pro flagitio habetur & contemtui exponitur. 140.
Medici taxantur. 89. seqq.
Mores civium explorandorum modus. 66.
Moropolis prisca constitutio. 67. laus. 68. decrementum. 70. alit homines stupidissimos. 70.
Moropolitani litibus delectantur. 83. ab omni eruditione abhorrent. 102.
Moropolitanorum domestica vivendi ratio. 84. seqq.
Mos patrius optima quaeque reprehendendi & ignota diiudicandi. 106. 108.
Musae extra patriam certius colendae. X.
Musarum devota consecratio. IX.
Musopolis, nunc Moropolis. 71.
Opificum cum litteratis comparatio. 144.
Oratorum naevi 1. seqq. timor abfit. 3.
Ostentatio doctrinae vana. 118.

Digitized by Google

Panzer Diac. Sebald. ſedulus translator, à collegis in invidia premitur. 110.
Parentis & amicorum indignatio de filio. 172. ſeq.
Paſtoris primarii iudicium de Criticis. 132.
Patriae impius contemtus. VI.
Philoſophiae ignobiliores diſciplinae. 16.
Phyſici, Metaphyſici & Critici, pari paſſu ambulant. 34
Rabulae, quinam? XII.
Rationes in lucem editae chimaericae. 1.
Reconciliatio patris cum filio. 135.
Schwarzius, doctor Altorfin. iniquiſſime laeditur 44. 52
Schwarzii Inſpectoris & Prof. ibidem fata 115.
Sebaldus, Rect. ſcholae Lauffenſ. traducitur. 29.
Societas latina Altorf. laudatur. 4.
Specimina inauguralia à Profeſſoribus emenda. 154.
Speciminum academicorum cavillatio. 80.
Sponſa praedives reditum in patriam accelerat. 156.
Steſichori conjux prodiga. 98.
Studiorum ratio in Academiis. 78.
Stupor divinitatis particeps. 72. colitur in templo. ib. eius facies & ornatus. ib ſeq. quibusnam regulis adſtringat recens aduenas. 74.
Tabernarum frequentia, uſus morales. 92. ſeq.
conviviae quomodo ſe gerant. 95.
Taedium in univerſitate patria. 122.
Theologi, exegetae, quales? 18.
Tituli myſtici. 79.
Typographiae infauſtum et luctuoſiſſimum inventum. 40
Veſtitus & reliqui corporis facies perſtringuntur. 5.
Vir longe celeberrimus nullius momenti. 143.
Vota librariis nuncupata. 58.
Univerſitatis patriae praerogativae. 153.

Digitized by Google

ot.
neri.

Digitized by Google